... Complē.

... potēs ⁊ miseri
cors deus qui nos
mētor tuo ... par
s efficis ⁊ ministros
s: ut intercedēte b...
... tuo atq; pontifi
ice: pficiamus aug
eterne beatitudi
ngamur cōsortio. p.

... tie martyris. Alle

... oratio. Oro

... sacramentum ...
... quesumus ...
munimur accepta ...
scē ... martyris tue in
tercessio contra omnia nequi
armis protegamur cele
stibus. p. Cyriaci ⁊ soci
orum eius. Oro

D eus qui nos annua
b... martyris tui
... eius solemnitate
...cias: concede ppitius
... quorum natalitia colim.
... virtutem quoque ...

THEOLOGIA.
N. 337

V
B J
C
35248
I

14. V. 63

Drews J
BIBLIOTH. UNIV.

EFFIGIES

Miraculosæ Imaginis DEIPARÆ VIRGINIS,

quæ apud Patres Societatis IESV religiosè colitur,

NOVOGRODECI,

compendiosa Narratione Historica illustrata,
atq; INSTRVCTIONE brevi Omnibus Beatissimæ V. opem implorantibus perutili, adjuncta,
in Solatium afflictorum,
à Residentia Novogrodensi Soc: IESU proposita.

Vilnæ Typis Acad: Soc: IESV.
1684.

Magna erga miſeros fuit miſericordia MARIÆ adhuc exulantis in mundo: ſed multò eſt maior jam regnantis in cælo. Vnde pro ſplendore prioris miſericordiæ fuit pulchra ut Luna: pro ſplendore verò poſterioris miſericordiæ eſt electa ut ſol. *S. Anſelm: apud S. Bonav. in ſpeculo B. V.*

35.248. I

Per

Perilluſtri ac Magnifi-
co Domino
D, BOGVSLAO de Vnie-
chowo VNIECHOWSKI
Notario Terreſtri Palatina-
tûs Novogroden: &c. &c.
Domino & Patrono
meritiſſimo.

Effigiem Imaginis Marianæ, quam extra Lituanos fines proferre, & peregrino etiam oculo venerandam proponere paramus, Perilluſtris Domus Tuæ primùm inferre viſum eſt. Perilluſtris Magnifice Domine. *Satis illa quidem habet decoris ab ea, quam repræſentat, Reginâ; ſatis lucis à prototypo ſuo, quod*

co-

copiosissimis clarissimisq; miraculis
seu totidem radijs illustrare non
desinit Pater luminum; ambit
tamen geminæ Tuæ impons Lu-
næ; ut vel sic iterum miretur
orbis Filiam Principis pulcher-
rimam in calceamentis suis, quæ
non de animalium exuvijs for-
mavit ars, sed de astrorum luce
& illustribus heroum facinori-
bus confecit virtus. Non dedi-
gnaberis utiq; pretiosum hoc avi-
tæ nobilitatis monile Marianis
substernere plantis, qui pridem
illi excelsos animos, heroicum
pectus, cor amplissimam, etiam
coram hac nostra Thaumaturgæ
eius Icone, substravisti; probè
gnarus, non utilius tantùm, sed
maius esse, suppedaneum jacere
Reginæ cœli, quàm attolli capiti-

 bus

bus vermium terræ. Sed enim non Mariana tantùm Pietas Tua Gentilitijs illustrata sideribus nos invitavit, ut cum hac Virginea Effigie, velut cum Arca Testamenti, ad Te primùm descenderemus: verùm & avitus, pridem in tutelam vibratus provocavit Gladius, quo armati pro superûm arèis & patriæ focis murum se continua serie opposuerunt inclyti Majores Tui. Meruerunt illum aliquot retro sæculis duo fulmina belli, non virtute minus quàm sanguine fratres, Radogosto (qui occupatâ à barbaris Græciâ in nostras concessit oras) inclyto Patre nati. Quorum alteri cùm Vnieshow, alteri Chodorkow ditiones in auctarium gloriosi stipendij cessissent, illustrium

strium bello ac pace duarum fa-
miliarum aperti sunt fontes, ut hinc fluerent Chodorkowscy inde Vniechowscy manarent. Ex his Alexander Vniechowski Illustrissimæ Tryznarum familiæ connubiali fœdere illigatus, eodem hoc modo amplissima summarum per Lituaniam Domorum decora sibi posterisq; adstrinxit. Nec minus prole quàm connubio fortunatus, insignes Palatinatibus dedit Vexilliferos: Michaelem Vitepscens., Ianussium Mściscens.; Georgium verò toti Magno Lituaniæ Ducatui disertissimum gravissimumq; Legatum ad prima, in quibus Vnio cum Poloniæ regno formabatur, comitia. Commendant hunc ampliùs non imbelles, (quomodo enim aquilâ gigne-

gignerentur;) *columbæ, sed Io-
vis aut Martis potius armigeri,*
Ioannes & Paulus *Vice Pal atı-
nus* Novogrodensis, *Avus* Tuus:
*qui quamvis pari virtute in
Chocimensi arenâ contra Osma-
num decertârint; impari tamen
præmio videntur donati, quando
Ioanni victrix palma, Paulo
mortualis cessit cupressus. Verùm
ea vis inest heroum sanguini,
ut quas rigârit cupressos, illico
vertat in palmas & lauros, super
quarum comas tanquam in lecto
honoris (iuxta regium invictis-
simi Poloniæ Martis Stephani
effatum) gloriosè occumbunt ma-
gnæ Animæ. At quis Marte ca-
lentem occubuisse dicat Paulum;
cùm superstes manserit in Mar-
tia filiorum triade,* Christophoro
qui

qui contra Cosacos Polonas Aqui-
las secutus, fortis paternæ insti-
tutus est hæres à Morte purpura-
ta; Samuele moderno Mozirensi
Tribuno, qui Legionem nuper
Novogrodensem in Moschos du-
cens, liberatâ patriâ, vincere non
vivere desijt, servatus nimirum
regio M. D. L. Tribunali, cui meri-
tissimus præesset Mareschaleus;
ac denique Hieronymo Novogro-
densi Tribuno, fortissimo Patre
Tuo, qui non patrias ac fratres
sui haussisse visus est spiritus pa-
ternos. Quantus enim in Smo-
lenscensi contra Szeynum expe-
ditione ardebat in arma? Quam-
vis verò lethali vulnere restin-
guere conatus sit hostis tantos
animos, non tamen extinxit:
siquidem eos, non leviter auctos,

in Te sensit ardere, quando in eandem gentem sub signis gloriosissimi terrâ mariq; Bellatoris, munificentissimi verò societatis nostræ Mecænatis, Castellani vilnensis, unà cum fortissimo Germano Tuo Advocato Novogrodensi, pari felicitate ac fortitudine movisti. Secuti estis tunc silenter vexillum Iudicianum; *nec ab eo etiamnum secessisse videmini, quando, quos ille fovebat, vos pergitis tueri.*

Hæc tangere debuimus Gentilitij Gladij vestri decora; tum ut appareret, quo merito inter geminas positus sit Lunas, qui tanta Patriæ sidera illustravit; tum ut innueremus apertiùs, quantum possit & pro tuenda & pro ornanda hac Effigie nostra.

Nostram

Nostram dicimus; quia non Dominam tantùm nostram eiusq; prodigiosam Iconem nobis concreditam, sed nostros quoq; in illam & Te repræsentat animos. Si prolixiori hic campus foret panegyri: effunderet illa sese non tantùm in ea, quæ ipse Tibi vel ingenij perspicaciâ, vel iudicij soliditate, vel orationis facundiâ in facie totius Poloniæ Litvaniæq; orbis non semel comparâsti decora; verùm etiam, quæ veluti dotalia Tibi Tuisq; accesserunt cum lectissima atq; huic Deiparæ nostræ addictissima Consorte, quæ in inclytam Domum vestram intulit à tot sæculis collectum Duninianæ ac Rayecianæ gloriæ thesaurum, Tiaras quoq; Cracovienses Malachowsciorum, Archie-

piscopales Węzykorum sanguine sibi cognato rubentes. Verum his amplior olim parabitur tabula: nunc ad tenuem nostram reversi Effigiem unicè precamur; ut hilari, quo soles, eam digneris vultu & ardente complectaris affectu Cliens Marianus; appensam verò illi Instructionem si limatissimo judicio Tuo probaveris, orbi commendabis, & veluti subscriptione officiosâ publici Notarij munitam, transmittes posteritati.

Ita vovet
Perillustris ac Magnificæ Dominationis vestræ
honori addictissima

Residentia Novogrodensis
Societatis IESV. AP.

APPROBATIO.

Ego IOANNES BERENT Societatis IESU per Provinciã Lituaniæ Præpositus Provincialis factâ mihi potestate ab Adm. R. P. N. CAROLO de NOYELLE Præposito Generali, facultatem concedo: ut Effigies Miraculosæ Imaginis B. Virginis Novogrodensis compendiosa narratione historicâ illustrata, cum Instructione sibi adjuncta, à Residentia nostra Novogrodensi proposita, & ab aliquot Societatis nostræ Patribus ad id deputatis revisa & approbata, typis mandetur. In cu-

ius

ius rei fidem has literas manu mea subscriptas & Officij sigillo munitas dedi.

Vilnæ 20. Aprilis Anno 1684.

(L. S.)

Ioannes Berent mpp.

Imprimatur.

PETRVS KITNOWSKI S. I.
Sacræ Theol: Doctor. Procancellarius Academiæ Viln:
Librorum per Diœcesim Vilnensem ordinarius Censor.

COMPENDIVM
Historicæ Narrationis Anno M. D. C. LXXIII. 14. Iulij Vilnæ editæ. de Miraculosa DEIPARÆ V. Imagine, quæ Novogrodeci apud PP. Societatis IESV colitur.

CVm gloriosæ memoriæ Sigismundus III. Rex Poloniæ victricia arma per Moschouiam latè circumferret; pars magna opulentæ prædæ facta est hæc Imago. Nam circa Annum Dom: 1615 incidit in manus militis nostri Wiazmam civitatem diripientis: verùm dum alter alteri eam præripere contendit, fractâ tabulâ avellitur à V. Matre Parvulus filius: nec potuit

potuit in hanc diem damnum satis resarciri, tabulaq; rite compaginari ab artificibus quantumvis peritis. Reportato in patriam victore exercitu, militis affinis dono cessit prædicta Imago cuidam fabro Vilnensi Petro Bogucki: à quo compluribus annis privato cultu honorata, tandem imminente morte jussa est ab hæredibus in aliqua Latini vel Græci ritûs Ecclesiæ deponi. At istis visum non est pauperem domum eo solatio & præsidio spoliare; donec sublato repentinâ morte uno è filijs, tradita est G. D. Nicolao Kołomyski, pridem id munus ardenter ambienti. Sed nec huic diuturna lætitia fuit ex dono. Nam cùm Superis visa esset jam matura publicis honoribus Imago, & Deipara properaret in profusionem ampliorum gratiarum

in

in terris nostris, nec sati fieret extremæ voluntati morientis & publico eam destinantis fabri: agmen variarum calamitatum invasit domum Domini Kołomyski; inter quas tamen, (ut lenis esse solet atq; ad monendum magis quàm plectendum cōposita Virginis manus) semper præsentissimam cælitus expertus est opē, quoties coram Imagine hac supplex accidit MARIÆ: imò non rarò immutatione vultûs, tremore, alijsq; signis præsagire visa est sacra Icon imminentia infortunia. His adactus, quasi cum Apostolorum Principe diceret; Exi à me Domina, quia homo peccator sum; offert illam Perillustri D. Christophoro Przesławski tum Canonico, dein Decano Cathedræ Vilnensis, alicui Ecclesiæ applicandam. Verum dum hic de tem-

plo

plo cui decenter inferatur, delibe-
rat, ac interim bellicæ turbæ totam
Litvaniam inquietant, subsistere
debuit intra privatos ipsius parietes
& privatæ devotionis terminos usq;
ad Annum 1662. Non tamen infru-
ctuosa fuit ea commoratio tum ipsi
Perillustri D. Decano, tum toti
viciniæ ad hoc asylum inter varia
corporis & fortunæ discrimina con-
fugienti. Ab anno enim 1652 ad
1662 censa sunt miracula quatuor
supra quinquaginta à constitutis Com-
missarijs rite examinata, & ab Officio
spirituali legitimè approbata.

Insigne est quod anno 1656 ex-
pertus est prædabundus miles Sueri-
cus, qui aulam præfati D. Decani
inopinatò invaserat. Cùm enim do-
mesticis diffugientibus expilatores
delati essent in eas ædes, ubi Imago
hæc

hæc aſſervabatur, & primum conclave reperiſſent Perſicis tapetibus veſtitum, in vicino verò ſacello advertiſſent ſacram Iconem pretioſis donarijs opulentam, ac in altera laterali menſa tres argenteos auro tectos calices, ferculum inſuper Euchariſticum, quod Monſtrantiam dicunt, pendulam adhæc lampadē argenteam &c. tentatâ non ſemel in ſacellum irruptione, divinâ ſemper vi prohiberi ſe, ſenſerunt. Audacior ex illis unus & hæreticis nequior Catholicus per feneſtram irrumpere bis tervè laborabat; ſed arcanâ quâdam manu multoties per feneſtram ejectus, gravi ad terram alliſione didicit gravitatem ſacrilegij ſui. Omnes deniq; panico quodam terrore correpti, nemine perſequente, in fugam ſe abijciunt, uno tantùm abla-

to

to tapete; quem tamen ipsum mox restituerunt. Nam cùm reliquos, qui præcesserant, socios insequi deberent Iezerniciam versus: illi quo irent, nescij, Słonimum properabant, ubi, à confluente Nobilium manu comprehensi, præfato D. Decano, sunt traditi, cui omnia confessi omnem, etiam alibi partam prædam, depo. suerunt, promiseruntq; coram sacra Icone, se ejuratâ hæresi accessuros Catholicæ religioni, quam tam venerabilis & potens commendaret Regina. Visa insuper est non semel cælesti lumine illustrata, contra irruptiones Moschorum, contra vicinissima fulminis incendia prodigiosè servata, è foveis, in quas metu hostium obruta humo, conjecta fuerat, divinitus eruta & in loco decenti collocata &c.

Anno

Anno tandem 1662, Die 17 Decemb. insigni Fidelium tam Græci quàm Latini ritûs concursu & religione, illatus est tam pretiosus Thesaurus Templo nostro Novogrodensi, recenter magna operarum festinatione in eum finem excitato. Cuius possessionem ut primùm per sacram hanc Iconem suam adijt Deipara; illico manifestis indicijs prodidit: se hic Gratiarum sedem fixisse. Nam continuata miraculorum serie, tam facilem se præbuit in vota supplicantium; ut præter ea, quæ complures intra conscientiam propriam suppresserunt negantes DEo & Matri eius gloriam debitam, ab Anno 1665 ad 1673. (institutâ rursus Commissione ab Illustrissimo ac Reverendissimo Episcopo Gratianopolitano NICOLAO SLV-

SZVPSKI, pro tunc Generali Episcopatûs Vilnensis in spiritualibus Administratore, zelosissimoq; cultûs Mariani promotore) recensita sunt ac rite approbata sex supra triginta beneficia miraculo concessa venerantibus mundi Dominam in hac S. Imagine. Inter alios publicâ grati animi testificatione retulit in proximè memorata Commissione Clariss: ac A. R. D. Christophorus Giszowski S. Theol: Doctor, Curatus & Altarista Novogroden: quemadmodum Anno 1670 in festo Virginis D. Elisabetham visitantis ad insignem fiduciam excitatus, Magnæ Matri, quam S. Damascenus (*Orat: 1. de Nat: B. V.*) Antistitem vitæ appellat, coram hac S. Icone factus fuerit supplex: ac illico à portis mortis, quas illi suo & Medicorum judicio

dicio, jam aperuerat gravis morbus respirium intercludens, se senserit revocari, redeunte continuis accessibus valetudine. Simili gratiâ Anno 1668 se donatum sanctè testatus est A. R. D. Matthias Sliwoski Vicarius Novogroden: & quidem cum auctario. Nam Anno 1673 placuit Dominæ nostræ cumulare gratias; & quem nuper è mortis faucibus clementer eripuerat, ingentibus correptum doloribus pristinæ incolumitati gratiosè restituere vix perito per votum interpositum, & jam impetrato beneficio, ita ut eodem Annuntiationis Virgineæ die & lecto exilire & sacris operari potuerit.

Vt perfecta esset etiam sacrorum Testium beneficentiam omnino prodigiosam à Deipara V. per hanc S. Iconem redundantem prædicantium: accessit

accessit R. P. Ioannes Swierczewski nuper Grodnensis Collegij Soc: IEsu Rector. Hic fractâ tibiâ, circa quam peritorum Chirurgorum opera diu frustra desudaverat, grallis nixus in templum æger adrepsit hospes Anno 1664. Inter orandum verò coram S. Imagine in eam sensit se erigi fiduciam; ut non dubitârit satis virium & soliditatis sibi futurum ad Hostiam incruentam Deo, in honorem Virginis (quæ eo die recolebatur ab Angelo salutata) offerendam. Accingit ergo se Divinis, quibus à multo tempore abstinere illũ jussit infirmitas; & subitò ita consolidatas reperit bases suas, ut ad Aram principem per gradus satis elatos intrepidus accesserit, ac peracto sacrificio, lignea fulcimenta Deo & sospitatrici Virgini appenderit

anathema

anathema. Ita nimirum ea, quam Andreas Cretensis (ser: de Dormit. B. V.) celebrat ut *perpetuam Angelorum Choream*, lætificare consuevit & homines, ut cervorum instar exiliant debiles & claudi; atq; agiles hilaresq; ducant sibi Eucharisticos gratiarum choros.

Eandem Deiparæ beneficentiam etiamnum gratiosissimè continuari testantur creb a pretiosaq; donaria, quibus non Imago tantùm sed Ara Virginis vestita splendet. Ita MARIA semper gratiosa, ubiq; benefica, in quibusdam à divina Providentia destinatis locis, latiùs misericordiæ sinum diducit, faciliùs specialium gratiarum thesaurum aperit, ut de plenitudine eius abundantiùs accipiant universi.

❦(+)❧

INSTRVCTIO
Omnibus
DEIPARÆ
VIRGINIS

Opem implorantibꝰ. ùti & gratiam impetrantibus perutilis.

A

PARS I.

De medijs, quibus Beatissimæ Virginis gratiam certiùs nobis possumus conciliare.

CAPVT I.

Non omnis oratio & invocatio grata est & efficax apud Beatissimam Virginem.

NOn omnem laudem esse speciosam, nec omnem orationem efficacem; & scriptura sacra (a) & quotidiana experientia docet. Quàm amplum est cor divinum & Sanctorum, quàm apertæ & liberales manus: tam mundæ sunt illis aures & delicatæ. Procul ab illis sordida tenacitas beneficiorumq; parsimonia: requirunt tamen,

men, ut rogentur, & quidem rite ac decenter, secundùm Rhetoricæ cælestis stylum & leges. Genius is est etiam Deiparæ Virginis, quæ quamvis tota sit dulcedo, tota gratia, tota quasi oculus semper prospiciens & inquirens necessitates nostras, tota quasi auris aperta & prona in preces, gemitus, & tacita etiam suspiria nostra: sæpe tamen nos & gravamina nostra videre non videtur, quia manum non porrigit: orationem & clamores videtur non audire, quia non exaudit. Habet quidem illa complures ab Omnipotentia divina sibi excitatos clementiæ thronos per orbem universum, ad quos à tribunali justitiæ appellare licet, habet fontes apertos, è quibus plenis alveis

lac & mel maternæ benevolentiæ fundit uberrimè; habet aras erectas ad quas se recipiant, quos æquissima Iudicis sententia premit: habet nimirum per orbem universum innumera loca & Imagines profusis rarissimis gratijs miraculosas: non raró tamen, idq; vitio nostro, accidit ut parum ibi solatij nihil auxilij reperiamus. Imò non semel visa gratiarum Mater amaro vultu reprehendisse orantes, torvo oculo sprevisse munera, alijsq; portentis aversum animum prodidisse & indignationem. Qua severitate castigavit non tantùm interiores animorum nævos, quibus conscientiæ sordescebant: verum & in cultu, gestu, & victu corporis subinde reperit, quod graviter aversaretur.

Miran-

Mirandum omnino est, & maturâ consideratione dignum quod in Apulia (una est Italicarum Provinciarum) non rarò contingit. Propè Avellinum monti insidet insigne templum, in quo Balduinus II Orientis Imperator miraculosã B. Virginis Imaginem, Constantinopoli avectam non sine prodigio deponere debuit. *Mons Virginis* appellatur locus, insignibus prodigijs celebris, inter quæ singulare est & rei nostræ opportunum, quod Guilielmus Gumpenberg refert (b). Ab ijs qui devotionis & calamitatum suarum gratiâ copiosi illuc confluunt, peregrinis, nihil pinguium eduliorum in montem, nedum in templum importari potest: imò ad duo circiter passuum millia per totam vicini-

am carnes, ova, caseus, butyrum, lac impunè comedi non possunt. Nam ubi horum quidpiam apportatur; quin etiam ubi vel una sola mulier accedit, quæ gentis more capillos unxit butyro, repentè coactis nubibus cælum totum agitur in rabiem, ejicit inter tonitrua grandines, pluvias, fulmina; & ventus tantùm non ipsi monti ruinam minatur. Neq; paxillantè cum irato cælo iniri potest, donec undiq; perlustrato monte deprehensum sit piaculum. Itaq; edulia vetita quàm primùm deprehensa fuerint, confestim vel igne absumuntur, vel ex alto colle in subjectam vallem præcipitantur. Quodsi mulierum crinibus butyrum allitum sit, abscissis illico capillis combustisq;, remedium

malo

malo poni debet. Tum deniq́s cælum cum terra in gratiam redit.

Conſiderandum iam venit hic: quomodo Domina ſemper clementiſſima, cuius cor non aliud rectius dixeris quàm Pacificum quoddam gratiarum mare, ob iniuriã tam levem in ritu ſe colendi, ita eum toto cælo exacerbatur, ut in flammivomum quendam Veſuvium converſa videatur: ut nec calentibus amore precibus, nec pretioſis ſinceri affectûs muneribus, nec toto piorum Clientum agmine placari ſe patiatur, donec tollatur abominatio terreis oculis modica, cæleſtibus decumana! Docere nimirum hac ſeveritate vult Deus materni honoris zeloſiſſimus aſſertor: ne humanitate & facilitate gratioſſimæ Matris ſuæ

abutamur; neve ad aureum eius clementiæ tribunal accedere præſumamus non bene compoſiti ad pietatis exquiſitæ leges.

Alterum caſtigatæ negligentiæ in cultu Mariano exemplum edidit ſeveritas divina non ita pridem in nobili Aulico. Viſitaverat is pio affectu Anno 1658 (c) Divā Zurowicenſem miraculis per Litvaniam ~~latè celebrem;~~ functusq; officijs pietatis ſuæ revertebatur cum Perilluſtri Dño Kędzierzawſki Caſtellanida Minſcenſi, cuius non cordi tantùm, verùm & ori altiùs dulciùsq; inſederat Marianus honor amorq;. Inſtitit nāq; per otium itineris prolixè celebrare aliam haud procul diſſitam V. Deiparæ iconem (eandem, quæ huic opuſculo occaſſionem dedit) licet

licet tum adhuc publicæ venerationi non expositam: monuitq́ viæ socium, ut ne gravaretur pedestri itinere, majoris reverentiæ causâ eam secum invisere. At ille devotionis, ut solet, jam satur; satis est, inquit, quod Zurowicensem Virginis Imaginem supplex inviserim: num omnis paribus gratijs donata, pariq́; religione colenda? ibo eques, Ivit: sed non claudo pede sequebatur illum ultrix à tergo Nemesis. Nam vix in ædibus consederat; cùm vultus ei tætrum mutari, jam pallescere, jam nigrescere, viresq́; & animus fugere. Concidit pronus in faciem ac membris omnibus ita obstupuit, ut lethali frigore jam obriguisse crederetur. At quæ correctionem, non cædē

volebat Mater viuentium: eâ planè figura, qua est prædicta Imago nostra Novogrodensis, spectabilem se misero stitit, ac duriusculè redarguit de morositate in cultu suo coram altera hac Imagine, quam ipsa beneficijs frequentatis ac ab ipso non crediti, prodigiosam fecisset. Tum ille collecta voce, *confiteor, doleo!* exclamat: ac velut ex alto somno experrectus in sacellum Virginis se proripit abjicitq; in terram, veniam veniam inclamans; quam illa facillis ded't cum auctario pristinæ sanitatis.

Proinde quos gravior quædam premit urgetq; necessitas, accessuri ad Dominam Patronámq; universalem, præsertim in miraculosa quadam Imagine colendam implo-

implorandamq; duo diligenter observent, oportet. Primùm; ut se ipsos ac sua censore oculo seriò perlustrent: ne quid oculis tantæ Maiestatis invisum occurrat. Alterum; ut sedulò cogitent de medijs, quibus gratiam sibi, precibus verò suis pondus & efficaciam conciliare possint. Quod utrumq; ut facilius præstetur, juvabunt quæ sequentur Capita. Efficacia esse suppeditata in illis Media, patebit tum ex appositis exemplis, tum propria experientiâ. Illud universim observandum; quod plus insit efficaciæ ijs, quæ cum maiore humilitate & mortificatione sunt conjuncta.

Sic instructi *accedite cum fiducia ad Montem* (sic B. V. appellat S. Damascenus Or: 1. de

Nat: B. V.) *qui collem omnem ac montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem exuperat; ad montem, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Accedite* (iterum hortatur idem Or. 2. de Assumpt. B. V.) *& gratiarum dona affluentissimè haurite*, ægri sanitatem, afflicti consolationem, derelicti præsidium, rei veniam, omnes omnia.

a Eccl: 15 b in Atlante Mar: Imagine 36. c. Ex miraculis rite approbatis & Vilnæ impressis Anno 1673.

CAPUT II.

Media quibus B. Virginis auxilium, præsertim coram miraculosis eius Imaginibus, efficaciter consvevit iplorari.

Me-

Medium I. & Fundamẽtum reliquorum.

Confessione vel saltem contritione seriâ ante omnia expiare conscientiam.

PRimum inter omnia Media conciliandi precibus nostris efficaciam apud Deum & eius Matrem est illud, quod indicat S. Augustinus Tr: in Ioan: *Initiũ operum bonorum, confessio est operum malorum.* Quomodo enim placeant Deo blandimenta precum nostrarum; si non prius lanceam, quam cordi eius quodãmodo infiximus peccando, sustulerimus pœnitendo? si relictis coram altari muneribus iubemur quantocyus adire offensum fratrem eiq; ante omnia reconciliari: quã-

tò potior priorq́; esse debet reconciliatio cum læso lethaliter Patre, Deo? Quidquid præter hoc dixeris egerisq́; audies continuò improperantem illud *Sap*: 4 Spiritum sanctum: *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Non respiciet Dominus ad munera Caini, quia detestatur Cainum. Nec Dei Mater per omnia se conformans voluntati & genio divino amare potest, quod odit Deus. Iam verò si te non amat, imo offensa tibi est ob gravem offensam Filij; quid speres ab inimica? Nonne verendum; ne & ipsa, ut olim Esther, protenso in te digito queratur coram Filio: *Hostis noster pessimus iste est Aman*: iste iste est N N &c. Gerit quidem illa curam & quidem singularem

larem etiam peccatorum: sed prima, quam à se speti cupit, & quam ipsa conferre amat, gratia, est sincerus de peccatis dolor & á peccatis libertas. Cæterum si in his obstinâsti animum, aut horum incurius de cæteris es solicitus: nō est, quare tibi promittas tantæ Reginæ extraordinarios favores, quales à nullo hominum etiam amicissimorum vel precibus impetrare, vel obsequijs promereri, vel pretio comparare, vel lenocinijs eblandiri posses. Dabitne illa sanctum canibus? mitterne pretiosissimas specialium donorum margaritas ante porcos tætris sordibus inquinatos? Vt ab amicis, fratribus, sororibus, parentibus impetremus aliquid specialis beneficij; curamus inprimis: ut si quæ

nos

nos inter & illos intercessit animorum aversio, etiam arduis medijs aboleatur: deprecamur offensam, vultum animumq; rubore & poenitudine suffusum ostentamus, observantiam omnem in mille sæcula promittimus; & oculos Reginæ cæli, Dominæ mundi, Dei Matris subire præsumemus, sceleribus in Filium ejus & ipsam commissis infames coram cælo & terra, nullam poenitentis animi verecundiam præferentes in fronte, nullum contriti cordis pulvisculum exhibentes in pectore? Impudentis hæc non mendicantis animæ nota est. Crimen id sapit læsæ Majestatis, non sublevationē præsentis necessitatis.

Quo sit affectu in huiusmodi devotos DEipara Virgo, non semel declara-

declarauit ipſa in imaginibus ſuis, quæ in plurimorum conſpectu viſæ ſunt expalluiſſe aut vultum auertiſſe, ubi quispiam grauioris culpæ reus acceſſit. Sic, ut plures alias taceamus, Steinenſis in Bohemia B. V. Imago prodigioſis gratijs celeberrima, dum ædem ſacram quis ingreditur, cui Deus non eſt amicus, velut ad conſpectum hoſtis ſui, vel improuiſum ſerpentis occurſum, ſacra ſtatua venuſtum faciei ruborem amittit, & inſolito terrificoq; pallore reos admonet officij: qui ſi poſt ſinceram exomologeſim iterum coram dicta ſtatua ſe ſiſtant, cernunt redeuntem, quæ fugerat, roſeam formam cæleſti amœnitate gratias ſpirantem. Similia doloris ac lætitiæ ſigna pro perſonarum accedē-

tium

tium conditione dare consuevit Soliensis in Germania, Drepanitana in Sicilia, Częstochouiensis in Polonia &c. &c. Imago Deiparæ Virginis Zurouicensis in Lituania nostra ab hæresi vel alterius criminis labe infectis oculis nunquã se suo colore videndam præbere fertur. Alij turpi quadam fuligine obductam, alij velo & quidem denso obtectam putant. Fuit qui capiti statuæ B. V. Perneggensis in Germania coronam argenteam imponere tentaret, sed tamdiu nõ potuit, dum contritione rite elicitâ dignum se redderet, (a) His non contenta auersi animi indicijs per imagines suas editis; ut disertiùs nos edoceret fundamentalem hunc se colendi & multa impetrandi modum, non est dedignata

subinde

ſubinde adſpectabili formâ comparere, & quo facto opus eſſet, aperire. Experta eſt eam felicitatem Mediolani fœmina, quæ ut ſcribit Ignatius Carnagus Capucinus (b) inſcribi ſe curauit in Album ſodalium B. V. *de Tranſitu*, quæ ſodalitas in templo S. Fidelis eſt erecta Anno 1639. Orabat hæc fœmina Deiparam, ut ſibi in confinio æternitatis adeſſet propitia. Adfuit Virgo magna luce circumfuſa, eo habitu, quo in ſupradicto templo picta conſpicitur, dixitq; *Quo modo vis ut te iuuem in Tranſitu, ſi non es confeſſa de tali peccato?* & peccatum occultum expreſſit. *Si ergo vis à me iuuari, vade ad S. Fidelis templum & ibi confitere.* Iuit docilis diſcipu-

lo

la, remq; ita narrauit, ut eam etiam in tabulas referri voluerit. Simile monitum dedit Virgo prudentissima, & peccatorum magistra gratiosissima, Indæ fœminæ in Taytay, ut habetur in Hispanica Philippinarum historia (c) cui per annum integrum facies fœdè intumuerat, neq; tumor arte ulla superari potuit. Nocte quadam apparuit illi Beatissima Virgo Hispanico cultu decentissimè vestita, eamq; de suis peccatis reprehensam hortata est, vt quàm primùm peccata omnia in sacro Tribunali deponeret: *in eo enim sciret remedium sui mali consistere.* Venit illa diluculo ad templum Societatis, & narratis quæ viderat audieratq; fecit imperata; statimq; à generali exomologesi facta

fine-

ſine ullo alio remedio conualuit, deuotiſſima deinceps Benefactrici magiſtræq́; ſuæ. Præſtandum profectò accuratè, quod tam ſeriò requirit MARIA. Audiendus eſt & ſanctus Auguſtinus (d) *Vis inquit ut eò intret mel, unde acetum necdum effudiſti? effunde quod habes; ut habeas, quod non habes.* Effunde ex imo cordis peccata, etiam minima, & tantò tibi uberiores pretioſioresq́; infundentur gratiæ, quantò mundius vas attuleris. Non tantùm ſtillicidijs quibusdam, ſed fluminibus melliflua conſolationis lætificabit cor tuum MARIA: prout lætificauit, quæ in Nouogrodenſi noſtra ſacra Icone colitur Deipara, Anno 1672 M. D. Danielem Bylof; Anno 1667 M. Dnũ Sta-
niſla-

nislaum Dziedzinski, Anno 1670 Dominum Petrum Iuchnowicz (c) & complures alios, qui voto facto de expianda per confessioné & ornanda per communionem Eucharisticam conscientiâ, à morbis planè fatalibus sunt liberati. Facilis est cura corporis, ubi conualuerit animus.

(a) AtlasMa: (b) *in ciuit: refugij lib. 1. p. 2. c. sto* (c) *lib. 3. c. 8. n. 61.* (d) *homilia 37. inter 90* (e) *ex miraculis rite approbatis & impressis Vilnæ 1673.*

MEDIVM 2dum

Deprecari humiliter B. Virginem ob negligentias in eius cultu commissas, & ingratitudinem pro beneficijs hactenus per illam acceptis.

Vt agnitio culpæ propriæ primus est

est ad emendationem gradus; ita deprecatio offensæ inter primos est impetrandi modos. Ita enim ferire solet corda quantumuis irâ æstuantia, conspectus hominis, cui verecundia suffudit vultum, rea conscientia erudiuit linguam, quē humilitas ipsa solo afflixit: ut non tantùm pronissima fiant ad dandam veniam, verumetiam ad noua largienda beneficia. Illustre exemplum patet in prodigo illo, qui per humilem patris deprecationem non veniam tantum delictorum meruit, sed epulum lautissimum, choros musicorum, splendidum vestitum, annulum pretiosum: verbo, cor & amores obtinuit paternos usq; ad inuidiam fratris. Putasne cor matris intractabilius esse quàm Patris? Quidni

idcirco

idem tibi ſperare & experiri liceat, quod obtinuit in Italia religioſus quiſpiam Deiparæ Cliens Joannes Tibaldus, de quo Ioannes Nadaſi? (a) Is cum adhuc degeret in ſæculo, viuebat ſecundùm leges ſæculi, id eſt moribus Deo & eius Matri inuiſis: ut tamen aliquem erga Deiparam Virginem ſeruaret pietatis igniculum, aduerſus incendia gehennæ utilem olim ſibi futurum; ſingulis hebdomadis uno die abſtinebat à carnibus. Sæpe animum illi vellicabat cogitatio, ut vel vitæ licentiâ, vel ſanctimoniâ valde excelleret, mediocribus non contentus. Flexit illum tamen meliorem in partem iratus Dominæ & Patronæ ſuæ vultus. Quoties enim aſpiciebat imaginem eius, videbatur ſibi Cenſori

sorio ab illa oculo aspici atq; redargui. Vnde rubore suffusus oculos demittere cogebatur seueræ illius maiestatis non tolerantes. Illuxit tandem aurea hora ex gemino faciei Virgineæ sole, quàmuis nube indignationis obducto, emicans: qua Ioannes prioris vitæ odio grauissimo concepto, heroica mente statuit non moribus tantùm mundi, sed mundo ipsi, perditissimo morum magistro, nuntium remittere. Ergo DEo & MARIÆ, qua decebat animi demissione factus supplex, temporis pessimè dilapidati, ingratitudinis commissæ, obsequiorū neglectorum, offensarum cumulatarum ardentissimè petit veniam, fideliterq; exequitur quod generosè proposuit. Tam propitia

autem deinceps ac liberali usus est Deiparâ V. ut ingenuè fassus sit, se nullam unquam repulsam ab illa passum esse. In religione usq; ad sanctimoniæ famã pius, oculos assiduis lacrymis pæ perditos, repente sanos à Lauretana, cui supplicauerat, B. Virgine accepit, tanquam auctarium aliorum beneficiorum. Non pauciora vel minora sibi promittere poterit, quisquis deprecationem suam pari humilitate & sinceritate instituere, & se accommodare voluerit illi sapientis oraculo Prouerbior: 18 *Iustus in principio est accusator sui.* Expertus profectò quod sanctus Bonauentura, & exclamabit cum illo (Cap: 19 stimuli amoris) *O dulcis diligentibus ô clemens*

iamô

pœnitentibus virgo! Quodsi formulam, qua id præstes, requiras; hac uti poteris.

Gratiosissima Mater Dei mei & Domina mundi totius, ecce infidelissimus seruorum tuorum, immenso criminum pondere grauatus, turpissimo coram cælo & terra ingratitudinis stigmate infamis, procidit ad sacros clementiæ tuæ pedes oraturus veniam iniquitatum & negligentiarum suarum in obsequio tuo. Scio Domina & cum pudore recolo, quid facere debui; scio quid non fecerim, scio quid malè egerim: quæ omnis notitia intolerabilem mihi parit confusionem & dolorem, atq; utinam maturius peperisset! Quod si sanguineis omnino deplorandum esset lacrymis, quod

te tam parum, tamq; tardè amauerim, tam parum in gratiam tui præstiterim: quo tandem pœnitentiæ genere expiabo, quod toties instinctus tuos, & maternum ductum insolens recusârim, toties gratiam & amorem tuum vilissimarum creaturarum amori & delectationi posthabuerim, toties proposita, te unam post Deum amandi & obseruandi fœdifragus violârim, toties deniq; (quomodo enim omnes quibus scateo, labes enumerem) cor tuum, animam tuam, & his omnibus quid pretiosius tibi, IESVM tuum, Deum meum impudenter, nec leuiter offenderim? Hanc ingratitudinis & offensarum mearum molem, atq; ex parte alia nihil obsequiorum meorum considerans

quid

quid faciam? Faciam, quod unum possum & debeo. Cor humiliatum & contritum, atq; ampliùs & ampliùs conterendum Maternis Tuis substernam atq; exnunc substerno plantis. Doleo totis viribus animæ meæ, quod dulcedinē charitatis tuæ & Filij tui in amaritudinem conuerterim & indignationem. Et jam terminum figo ingratitudini & negligentiæ meæ. Te Domina, obsecro per IESVM Tuum, vt necessarijs gratijs confirmes iustam hanc voluntatem meam. Tibi deinceps & Deo meo vivam unicè, seruiam fideliter, laborabo constanter, moriar deuotus. Amen.

Sæpius per diem repetes hoc vel simile suspirium: *Mater gratiossima, peccaui in cælum &*

 coram

coram te! Vel: Domina non sū dignus vocari filius tuus miserere servi inutilis.

MEDIVM III.

Promittere B V. se certum Habitum vitiosum omni conatu depositurum, si desiderata gratia obtineatur: & statim aggredi executionem promissi.

Splendida grandiaq; promissa circumventi graui aliqua adversitate Deo Diuisq; facere solemus. Nullum verò illis acceptius, & illaqueando cordi Mariano aptius est, quàm quod hìc propositum est; nihil enim ipsa magis desiderat, quàm ne offendatur Filius suus, animâ & quouis alio bono sibi charior. Hinc illæ lacrymæ subinde etiam sanguineæ, quas fundere visæ sunt imagi-

imagines quædam ipsius, quando
nefas aliquod commissum aut com-
mittendum erat in Filium. Iam
verò qui peccando iam ita inua-
luit, ut habitum non tenuem
contraxerit; is hoc ipso necessita-
tem quandam contraxit contem-
nendi & offendendi Filium DEI
& MARIÆ. Necessitatis huius
indicium est tum frequentia la-
psuum & quidem communiter gra-
uiorum, tum ingens difficultas,
quæ sentitur in resistendo incli-
nationi ad certum peccatum, quæ
ita sensim invalescit, ut insupe-
rabilis videatur. Proprio edoctus
malo fatetur id, magnus doctrinâ
sed maior humilitate Augustinus
(a): *Ex voluntate inquit per-
uersa facta est libido,* (seu ve-
hemens concupiscentia mali) *&*

dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, tenebat me obstrictum dura seruitus. Voluntas autem noua, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruiq; te vellem Deus, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate robor-tam. Ex qua tam sincera sanctissimi viri confessione, patet ingens vis habituum peruersorum, non tantùm suauiter inclinantium sed grauiter quodam modo trahentium voluntatem ad offensam DEI. Si enim Augustinus fatetur nouã voluntatem seruiendi Deo & fugiendi peccata *non fuisse idoneam*

meam ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam, initio conuerſionis ſuæ, etiam poſt tam heroicam reſolutionem ſuam uni Deo adhærendi: quantò minus poterit voluntas hominis ſub iugo peccatorum adhuc gementis? Quisquis ergo erigens ſe ſupra ſe ſincera intentione, generoſa mente, plena deliberatione corã Deipara V. ad quam confugit, ſtatuit & promittit, (vovere neceſſe non eſt) ſe fretum præſidio eius, totis gratiæ diuinæ & animæ ſuæ viribus occurſurum potentiæ certi ac determinati ſui habitûs N. ſtatimq; opus aggredi, & ſine mora internecinũ illi bellum indicere; is profectò heros eſt qui non poteſt non in amoribus eſſe cælorum Imperatrici, qui

ci, qui non potest non elicere ab illa specialissima quæq; dona; quemadmodum è contra, parum extorquebit aut nihil, quisquis alia omnia præter id unum agit.

Veritatem hanc infelici ac terribili experimento didicit Anatolius quidam Antiochenus, de quo scribit Baronius Anno 580. Is per varias artes è plebeia conditione ad clarissimos magistratus & gravissima obeunda munia evasit feliciter, sed honoribus & potestate sua infeliciter usus, Divorum metum deposuit, ac in dies magis magisq; præceps in scelera, nihil habuit antiquius & familiarius quàm Deum offendere; donec populus indignatione ac iusto divini honoris zelo commotus scelestum compingeret in carcerem.

rem. Ibi Anatolius manibus à tergo complicatis, demisso supercilio, supplicem se exhibuit Deiparæ V. coram eius Imagine, quæ in carcere sublimis pendebat. At illa scelestum detestata, & ut Deo inuisum coarguens penitus se auertit. Spectaculum planè horribile, inquit Author, & sempiternæ memoriæ prodendum; quod quidem à præsidiarijs militibus & carceris custodibus, visum est, atq; ab omnibus diuulgatum. Apparuit iterum Deipara re ipsa nonnullis fidelibus, eosq; contra impium illum incitauit grauiter questa: *Anatolium Filium suū contumelijs afficere.* Nec deferbuit indignatio Virginis donec Anatolius in amphitheatro à bestijs necaretur, tum ageretur in

crucem. Neq; ibi quiescere passa est mutilum cadauer. Nam (quod antè nunquam evenerat) lupi accurrentes, corpus in terram disturbârunt, & iteratâ laniatione sunt depasti. Quod si scelestus eo, qui hîc propositus est, modo Deiparam V. supplex conuenisset, seriumq; melioris vitæ propositum obtulisset: flexisset facilè, nullus dubito, ut plures alij, misericordiæ Matrem in vota sua. Verùm hac arte destitutus, euentu nullatenus feliciore quàm Antiochus orabat scelestus Dominam á qua non est misericordiam consecutus. Et quomodo mereantur misericordiam, qui misericordiam petere tantùm non facere norûnt, quotidie, quantum in ipsis est, iterum crucifigentes filium DEI in

in semetipsis, ut loquitur Apostolus. Sapiamus alieno periculo, & hic sit primus actus misericordiæ nostræ; crudeles non esse in Deum, solitasq; offensas eius iterare nolle. Quod nolle ut efficax sit, semouenda sunt omnia, quæ nos ad illas reuocare possunt; inter quæ potissimum est habitus peccandi.

Ad hæc sæpius in diem utere hac vel simili aspiratione: *Dirumpe Domina vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* Vel: *sat seruitum peccatis: dona me Domina libertate filiorum DEI.*

(a) Libro 8. Conf., cap: 5to & 11.

MEDIVM IV.

Feruenti ad Beatissimam Virgi,

Virginem orationi jungenda mortificatio aliqua.

MIrus est sapor orationis mortificatione conditæ: mira efficacia orationis mortificatione armatæ Oratio est instar vini lætificantis cor Dei & Matris Dei: Mortificacio est myrrheum quoddam illius condimentum, quali olim veteres (a) suauiorem gustum vino suo conciliabant. Vel certè oratio est instar pretiosissimi unionis: mortificacio est acetum quoddam: in hoc si dissoluatur secundùm artem Cleopatræ Ægypti Reginæ, unio ille, conficietur poculum Reginæ cæli tam pretiosum gratumq; ut grandi quodam dono haud dubiè illud sit remuneratura. Acceptissima semper fuit

Deo

Deo persona Danielis Prophetæ, acceptissima & oratio eius; non tamen semper efficax nisi sociata mortificationi. Prolixas fundebat ardentissimasq; preces ad extraordinariam quandam obtinendam gratiam, sed euentu nullo. Vbi verò insignem carnis macerationem iunxit orationi, ecce adest à Deo consolator Angelus miram prædicans nobis pariter ac illi mortificationis efficaciam: *Ex die primo*, inquiebat, *quo posuisti cor tuum ad intelligentiam, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua* (b) Videatur nobis licet quandoq; cor diuinum prorsus inflexibile ad vota nostra; imò induruisse adinstar petræ, si ardenti orationi accedat

acerbi

acerbitas afflictionis alicuius corporalis, facilius illud liquescet quàm ab igne & aceto Alpes Italiæ. Docuit eam artem emolliendi Cor Divinum & suum ipsa Deipara Virgo Savonenses in Italia. (c) Meruerant illi nescio qua culpâ gravem manum vindicis Iustitiæ Diuinæ; & iam in vindictam assurrexerat ultor Deus: cùm ecce sollicita de populo nihil tale cogitante Mediatrix Dei & hominum gratiosissima, congrua suadere eis media statuit, quibus imminentem plagam à se auertant, Ergo Anno 1636 Sabbato ante Dominicam Palmarum adspectabilem se sistit Antonio cuidam rem agrariam curanti. Postquam is in seram usq; vesperā portauit pondus diei & æstus,

absterfurus

abſterſurus à vultu ſudorem rivulum accedit: & ecce vocari ſe de nomine peramæna & clarâ voce audit. Circumſpicit, videtq; in medio riuulo inſiſtentem non grandi ſaxo Virginem veſtitu candidiſſimo; ſimul audit ſic ſe compellantem: Antoni, Ego ſum MARIA Mater Chriſti: ito, & facta rite noxarum confeſſione (nota primum Virginis mandatum) Filium meum de manu ſacerdotis ſuſcipe; tum tribus proxime ſubſecuturis ſabbatis ieiuna: Parocho ex me impera, ut ad eadem populum adhortetur, ſiquidem imminenté Filij mei iram auerti velint. Demum quarto ex hoc ſabbato eadem horâ ad me huc redi. Ruſticellus non grauatus paruit; confeſſione ſacrâ ani-

mam

mam non sordidam expurgauit, paneq; cælesti refecit. Magis arduum fuit, quod Parocho incumbebat munus. Is Gubernatorem urbis Doriam adit, ac mandato Deiparæ exposito, confessionem, inquit, & sacram synaxim non difficulter persuadebo hoc paschalis pænitentiæ tempore; neq; negotium ullum facesset primum sabbati ieiunium. siquidem eodem Vigiliam festi Paschalis de more honoramus: at verò duorum sequentium post Pascha sabbatorum ieiunia quis populo per quadragesimam exhausto persuadeat? hæc Parochus. Cæterum dum in seram noctem consultatur, dum Antonius ipse vocatur, certiora nunciaturus, tres cælestis luminis flammæ supra templum vrbis paro-

parochiale apparent, & tres aliæ supra castrum. Interea superueniens Antonius omnia confirmat. Itaq; ipso die Palmarum indicitur ieiunium etiam duorum post Pascha sabbatorum; nec Sauonenses se difficiles præbuere, etiam ad duriora pro Virginis nutu parati. Antonius quarto quo iussus erat sabbato locum repetit iterum Virginem videt candidissimo ut nuper vestitu, sed radijs cælestibus illustriorem, sine Filio tamen. Neq; enim Sauonensibus conducebat irati numinis aspectus. Tum illa. Antoni, inquit, placent Sauonensium ieiunia tria, ternas tamen etiam supplicationes instituant, quibus adesse volo summos infimosq; atq; eos præcipuè, qui cætuum suorum instituto

tuto veſtiti ſaccis (*aduerte iteratum imperium mortificationis*) in corpus flagellis ſæuire ſolent. His dictis, ſuſtulit cum oculis manus, & riuulo ter beneprecata, terquoq; inclamauit: *Miſericordia Fili non iuſtitia! Miſericordia Fili non iuſtitia! Miſericordia Fili non iuſtitia!* Tunc ex oculis inter cæleſtes odores ablata eſt. Edicit noua mandata populo Antonius: inſtituuntur illico tanto apparatu ſupplicationes, ut in ijs nouem hominum millia cenſerentur, è quibus fuêre triginta numeroſæ cohortes in terga ſua ſæuientium. Hunc populi concurſum & ardorem non tam viſæ ſupra templũ flammæ, quàm imminens plaga, & medica vis aquæ, cui benedi-

xerat

erat Deipara, acciuit. Atq; sic preces ieiunio conditæ, mortificatione armatæ, exarmârunt vindicem Deum. Simile euenit Fauétinis in Italia. (d) Anno 1410 pestiferâ lue urbem affligente, Ioanna de Costumi è deuoto fæmineo sexu non postrema, tantis malis conata est finem impetrare per Deiparam ardenter imploratam. Et ecce adest vocata Virgo, & quid, inquit, vis filia? Ioanna, patriam, respondet, *à peste videre liberam*. Explicat ad hæc Virgo crucis in modum brachia, & confractas ambabus manibus sagittas Ioannæ exhibens, En, inquit, quomodo iram Filij mei auertam. Videś sagittas? Tu interea præsulem adi: dic, velle me à populo ieiunium unum &

tridui

tridui supplicationes, quæ pestiferæ lui, ut optas, finem imponent. Indictum postero die ieiunium & terna supplicatio; nec fefellit euentus. Euanuit lues, & sat occisorum fuit. Hac eâdem utere armaturâ, ieiuniis, cilicio, disciplinis, humi cubationibus, diuturnis genu flexionibus; quandocunq; necessitas compellit cum irato numine & conciliatrice Deipara congredi. Inclamabit illa iterum: Misericordia, Misericordia Fili, & non iustitia! Exaudietur ipsa pro reuerentia sua; & sicut Abrahamo propter Saram apud Pharaonem, ita tibi quàmuis aliàs immeritò bene erit apud IESVM propter MARIAM.

(a) *Plin: lib: 14. Cap: 13. hist: Nat:* (b) *Dan: 10* (c) *Ioannes*

Bapt:

Bapt: Alberti lib: 2. (d) Atlas Mar: Imag: 85.

MEDIVM V.

Nocturnis vigilijs & orationibus Deiparæ Virginis opem implorare,

SEmper magno in pretio fuit seriò oraturis tempus nocturnum. Imprimis enim aptissimum est, ut cæteris conticentibus & quasi ab auribus oculisq; subductis recollectiùs agamus cum Deo & Deipara, fidentiùs cor angustijs pressum coram illis effundamus arbitris remotis. Quod probè aduertens Rex Propheta, monet *Psal*: 133 afflictos omnes: *in noctibus extollite manus vestras in sancta;* usûsq; est perlibenter ac pene continuò eâ tempo-

temporis commoditate tum ipſe, tum pleriq; Sanctorum, non tantùm in Thebaide aut Religioſis aſceterijs, ſed etiam in Regum palatijs commorantes. Inter quos eximij planè fuerunt D. Venceſlaus piiſſimus Bohemiæ Rex ac inclytus martyr, & Virgineus Princeps noſter D. Caſimirus; quibus ſatis non erat in conclauib9 ſuis orationi nocturnæ vacare prolixiùs, verùm ad templorum porticus concedebant etiam algente cælo, idq; nudipedes. Nouerant quippe eam orandi methodum, exemplo ſuo ſæpius commendâſſe nobis Deum hominem, qui teſte Euangeliſta (a) poſt diurnos, quibus laſſabatur, labores nihilominus *erat pernoctans in oratione Dei.* Nouerant præcipua

pua beneficia humano generi no-
ctu dispensata. Nam ut canit Ec-
clesia: dum medium silentium te-
nerent omnia, & nox in suo cur-
su medium iter perageret, omni-
potens sermo tuus Domine à re-
galibus sedibus venit: noctu de-
niq; victor mortis & inferni Chri-
stus captiuam duxit captivitatem
deditq; dona hominibus, libertate
plena donans animas sanctorum
Patrum. Imitata, ut solet, filium
Deipara Virgo, grandia sæpe do-
na, negata aliàs aut dilata diu,
indulsit orationi nocturnæ. Do u-
num pro multis ex P. Gonzaga
(b) & Ioanne Moyza (c) quod
plurimum solatij præsidijq; adfert
præsertim coniugibus afflictis. Car-
monæ in Lusitania vir fuit do-
ctoris gradu insignis sed mori-

bus parum compositis ad pietatis leges maximè autem in pauperes durus. Quod durius accid t uxori quàm ipsis pauperibus. Erat enim matrona quæ inter cæteras sui sexûs à devotione laudari, etiam misericordiâ eminere volebat. Dolebat igitur medullitus, quod è pauperibus nullum vel levissima eleemosyna consolari auderet in opulenta domo, cuius tamen omnes ferè divitiæ collectæ essent è pauperum sangvine. Quoties quidpiam dedit, toties accepit, verbera nempe à marito ad numerum obolorum, aut etiam supra, admensa. Lucia (id nomen erat lectissimæ fæminæ) cum neminem haberet, apud quem has querelas securè deponeret, ad Deiparam conversa, ei omnem malorum

malorum seriem innatâ sexui suo eloqventiâ & longis precibus identidem exposuit: ut illa quæ Mater esset omnium, pauperibus & sibi virum mitigaret, atq; ad pietatis normam redigeret. Commodum in urbis pomoerio sacellum fuit Conceptioni Immaculatæ dedicatum, cui ipsa per se erat addictissima. Nam nullo non sabbato inter hoc relegebat, & longâ prece Virginem fatigabat, idem identidem ingeminans & mariti conversionem petens. Sed effectus precum nullus, nullus lacrymarum secutus. Contigit, ut tempestas exorta pluviam aliquando tam copiosam tamq; diuturnam dederit, ut reditum illi in urbem impediret. Noctem itaq; exegit inter anxias preces interpolato

polato somno mixtas. Timoris causa maritus fuit, nimium quantum zelotypus omnia alia cogitaturus, quàm quod erat; nec aures loquenti, nec locum excusationi daturus; ut ferè solent quibus affectus non ratio dominatur. Iamq; non verbera & convitia, quæ non raro devotis stipendia devotionis esse solent, sed mortē mente volvebat Lucia; plus de genere mortis quàm ipsa morte solicita, quam maritus indubiè esset illaturus. Cum his satis diu conflictata angoribus, assurrexit tandem animo & Quod si, inquit, *moriendum est, moriar. Vt moriar, facere poterit zelotypia ut malè moriar, faciet nunquam.* Itaq; manè facto, amaram doloribus sed pulchram pietate

animam

animam expiavit ampliùs confes-
sione, & sacro Christi Corpore
tanquam viatico supremo sese
communijt. Addidit tamen votũ:
se sacello huic adjuncturam cæ-
nobium, si mariti præcipitem irã
& mortem evaderet: nam de con-
vitijs & verberibus evitandis ne
cogitare quidem est ausa. Ita mi-
seri nec à superis quidem multa
& magna petimus vel speramus.
Sed sequamur animo domum re-
deuntem fœminam, mortis ima-
gine plenam, luctantem cum spe
& desperatione, nec satis certam
quò iret, quòve passibus à tumu-
lo distaret. Ibat tamen ac Esther
ad Assuerum & ubi domum in-
gressa in conspectum mariti venit;
colligit quidquid virium habet tam
à natura quàm ab innocentia,

 potissi-

potissimum verò ab Innocentiæ Patrona Virgine; atq; sic virum affatur. Redire me domum hesterna pluvia vetuit; noctem in Virginis sacello exegi, meam tuamq; causam coram illa agens. Si alia cogitas, & mortem minaris, non imparatam invenies. Nam priusquam oculos tuos subirem, expiatâ animâ SS. Eucharistiam suscepi tanquam moritura. Feri; si placet, & innocenti sanguine suspiciones tuas ablue. Maritus non tam uxoris insolito & cordato affatu, quàm præteritæ noctis cogitationibus jam alius; desine inquit, Lucia, desine vereri suspiciones, verbera, mortem. Alius sum, & multùm mutatus ab illo qui fui: alium me Deipara hac nocte

fecit.

fecit. Non illa quidem apparere mihi dignata est, aut loqui sed, ò Deus! quibus timoribus non sum agitatus, quæ non mente volvi vitæ præteritæ pericula! *Tace*: alius sum, & utiq; tuis precibus alius: vitam posthac agam ad tuæ pietatis regulas. Vt promisit, fecit: vitam vixit Christiano dignam, quam non ita multò post, etiam Christiana morte clausit. Lucia voti memor cœnobium Monialibus S. Francisci ære suo in loco prædicto ædificavit, quibus & ipsa adscripta conformem pijssimæ vitæ mortem oppetijt. Tanti est, si maritus etiam pessimus uxorem bonam bona sorte sit nactus! Tanti est nocturnâ precatione Deiparam solicitâsse! Vna nox

 obtinuit

obtinuit, quod plurium annorum preces & lacrymæ obtinere non valuerunt. Rectè Ecclesia per Mulierem illam fortem (*Proverb:* 31) expressam existimat Consolatricem afflictorum MARIAM. Nam & ipsa eundem habet morem, quem heroina illa, de qua scriptura refert: *De nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis & cibaria ancillis suis.* Ita MARIA innumeros inter nocturnas vigilias pretiosissimis diuq; expetitis donis recreavit: felicesq; prædicat ipsa tales, quibus hoc medio uti libuerit: *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas!* Proverb. 8.

a Luc. 6. b. 8. p. fol. 919. c. in cœlo stellato lib. 4. cap. 2.

ME-

MEDIVM VI.

Ritu mendicantis opportunè importunè opem B. V. implorare.

QValem se gessit coram Deo Rex & Propheta David, talem se exhibuit coram Deipara regis Hungariæ sancta filia Margareta. Oblitus ille, aut potius nihili ducens opulentiam & maiestatem regiam, quod semel coram uxore & aulâ totâ testatus est (a) *Ludam & vilior fiam coram domino*, id semper implevit abundè. Quando enim agendum ei erat cum Deo, deposita persona Regis, mendicabuli unius assumebat non tam habitum (quanquam & hunc non rarò imitabatur cilicio

ctus) quàm animum, orationē & gestus: talemq́, se re ipsa præstabat, qualem Psal. 39 palam profitebatur: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Sic personatus non è throno regis, vel molli toro, sed de profundis vilitatis & egestatis suæ, ex pulvere & cinere clamabat: *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper sum ego.* (b) Quàm verò lucrosa fuerit ei huiusmodi mendicatio, mox fatetur ipse in eodem psalmo: *confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo & glorificabo nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me!* Advertit utilitatem huius artificij Virgo regia, &

una

una de numero prudentûm S. Margareta, illudq; ex animo complexa, multiplicatis apud B. V. precibus, indigentiæ suæ spirituali subsidium petebat ritu, quàm poterat exquisitissimo, ex ingenio humilis mendicitatis. Eo autem potissimum tempore hoc genus impetrandi usurpabat (c) quo Ecclesia veneratur Virginem non tantùm gratia, sed ipso gratiarum fonte Deo plenam, id est paulò ante Nativitatem Dominicam.

Nobis tempus commodum practicandi hanc industriam toties erit, quoties gravior necessitas vel adversitas premet. Vt autem fructuoso mendicandi artificio, quod non paucis magis sapit quàm manuum labor & sudor

vultûs

vultûs, maiore cum lucro utamur; observanda erunt diligenter ea capita, quibus mendicationi suæ efficaciam conciliare solent homunciones à fortuna ad stipem colligendam damnati: *imo* ad insignem se componunt modestiam & humilitatem. 2. Insignibus blandissimisq; elogijs ornant eos à quibus petunt. 3. Per quidquid charum illis nôrunt, orant. 4. instant usq; ad importunitatem, molestiam, & subinde ĩpatientiã. Simili utũtur methodo mendici qui fores Domûs aureæ, id est MARIÆ, pulsant suspirijs.

Ac inprimis modestissimo humillimoq; corporis situ gestuq; venerantur Dominam, *v. g.* flectunt reverenter, subinde etiam nudata, genua, ut faciebat S.

Bernar-

Bernardinus Senensis: non præsumunt prope accedere ad aram vel iconem B. V. sed instar Publicani à longè, aut instar S. Alexij à foribus seu vestibulo templi invocant illam: sæpius pronâ facie, imò toto corpore coram illa procidunt exemplo S. Alberti Carmelitani: alijsq; quæ necessitas imperat, utuntur humilitatis ac reverentiæ officijs, qualia impensè suadebat Hungariæ Regi Petro, de solio regni dejecto & variè afflictato Bernus Abbas. (d) *Pone te sæpissime* (scribebat ad illum) *ad pedes Beatissimæ Virginis, & corde contrito ac humiliato offer illi preces; & certus esto, si in hoc exercitio perseveranter manseris, brevi te ab omni*

angustia

angustia liberum fore. Nam ut advertit S. Bonaventura (c) *super humiles vultus eius,* & misericordes illius oculi super eos, qui gemunt in miseriarum valle depressi.

2do, Exemplo B. Stanislai Kostka S. I. speciosissimis compellanda titulis & honorificentissimis exornanda elogijs, Invoca ut Reginam cæli, Dominam mundi, Patronam universalem, ut Filiam æterni Patris, Matrem Dei Filij, Sponsam Spiritûs S. Perfectissimum SS Trinitatis templum, ut absolutissimum opus divinæ potentiæ & sapientiæ; aliosq; accumula titulos eminentissimos quos ingenium necessitate pressum, Litaniæ Lauretanæ, officium de Imm: Concept: &c.

&c. suggerent. Iuvabit quoq; blandiri illi teneriùs, appellando iam speciosissimam, iam Pretiosissimam, dulcissimam, Clementissimam, Misericordissimam, Gratiosissimam, Honoratissimam, suavissimam, Amabilissimam, Cor tuum, Animam tuam, Vitam tuam, & post Deum Omnia. Speciosa verba sunt viscosa affectuum illicia; atq; ut S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus testatur (f) *De cœlo prospiciens universorum Regina suarum laudum declamatores beneficiis coronat.*

3tio Invocanda & obtestanda per quidquid charissimum habet, per Humilitatem & Misericordiam suam, per Virginitatem & Maternitatem, per gaudia & do-

lores,

lores, per Charitatem immensam, qua ardet in Deum & homines, per Potentiam quam exercet in cœlis, terris, & inferis; potissimùm per Filium IEsum, idq; per passionem, dolores, crucem, vulnera & mortem eius, Imitanda Ecclesia, quæ singulas Orationes ad Patrem æternum fusas non aliter concludit, quàm *Per Dominum nostrum IEsum Christum Filium tuum &c.* Per hunc orat averti mala & coferri bona. Meminit quippe illius promissi à Christo facti Ioan 16. *Amen Amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quidni & Mater, suapte indole in beneficentiam pronissima, det nobis, si quid ardenter & rite

petieri-

petierimus in nomine eiusdem IEsu Filij eius? præsertim si illam admonuerimus infinitæ charitatis & beneficentiæ, qua fertur in nos Filius ipse, planè profusus sui; ut dum non tantùm regnum & thronum suum nobis defert imò obtrudit; sed se ipsum, quoties nobis libuerit, exhibet in cibum, adeòq; secum omnia nobis donat.

4to. Instandum orationi, obsecrationi, mendicationi opportunè importunè non unâ horâ vel die. Poterit id fieri sine magna difficultate & magna cum utilitate, per ardentia suspiria & brevissimas precandi formulas quas iaculatorias vocamus, & solent esse efficacissimæ. Proinde postquam prolixiore aliqua oratione

tione totam afflicti cordis amaritudinem coram Deipara effudisti: erumpe crebrò per diem & noctem in pauca sed affectu gravida verba. v. g. cum S. Francisco Xaverio ingeminando: *Mater Dei memento mei.* Vel: *Opitulare Domina, opitulare Domina. Domina non opitulaberis?* vel cum B. Stanislao Kostka. O MARIA sis mihi propitia! vel: O MARIA sis mihi MARIA! id est sis mea spes, mea stella, mea Magistra mea Domina! Hæc enim omnia significat MARIA. Vel cum P. Gabriele Vasia Soc: IEsu identidé inclama :Monstra te esse Matré, monstra, monstra te Matrem. Quam aspirationé plurimùm sibi placere indicavit pijssima Mater quando

uando eidem Patri in morbo
uodam ſui moris oblito adſu-
t ſpectabilis, & amanter expoſtu-
avit: *Et tu mei jam oblitus*
s? Quibus verbis inſigni eum
erecundia ſuffudit, ſed ſimul in-
redibili voluptate impleuit, atq;
d priſtinum morem aſpirandi
evocavit. (g)

Aſpirationum huiusmodi inſi-
gnem virtutem illuſtri exemplo
comprobat P. Paulus Barry in
ſuo Anno ſancto, 8 Febr: quod
ſe inſpectante contigiſſe ſcribit.
Anno 1610 Turone in Gallia
hæreticum hominem, ſupremo
morbo laborantem, non pauci
religioſorum in viam ſalutis de-
ducere laborabant. Verùm cùm
omnes conatus irriti cecidiſſent
ſuaſum eſt illi tandem, ut ad
Dei

Dei Matrem conversus, per illã peteret lumen à Deo, quo pateret: an veram salutis viam teneat, tendatq; in domum beatæ æternitatis. Quod cùm diu renuisset obstinatus, vix tandem impetratum est, ut id vel semel ex animo præstaret. Mirum dictu! vix pauca hæc verba *Mater IESV adesto mihi!* protulit miser; cùm subitò mutatus in alium, quæ hactenus placuerant, detestari cœpit, hæresim eiuravit & sacramentis necessarijs ritu Catholico munitus, intra spatium duarum horarum curriculum vitæ confecit, ac duce MARIA, felicem, ut sperare fas est, æternitatem est ingressus.

Quod semel duntaxat præstitũ tanto fuit emolumento huic moribundo,

ibundo, quanto ſolatio in vita
ꝛ morte erit ijs qui centies,
nillies affectuoſè ſimile quid n-
eminârint! Commodiſſima erum-
endi in huiusmodi aſpirationes
ſt occaſio, quando aliqua nobis
ccurrit imago B. V. Tunc enim
onjectis in eam devotè oculis
& aliquantùm defixis, opportu-
iſſimum eſt, verbo uno vel al-
ero admonere miſericordiæ
Matrem conſuetæ benignitatis
uæ, & præſentis indigentiæ no-
træ. Credibile non eſt, huius-
nodi gemitibus pulſatam crebrò
liuq; auream Clementiæ Portam
ion eſſe aperiendam, & tam
ijs conſtantibusq; mendicis ſtipē
receſſariam omnino denegandā.

a. 2 Reg. 2, b. Pſal: 85. c. Barr: in Anno S. Nadaſt in Theoph.

Theoph. Mar. die 9. e. Psal: 282. f in Menæis 30. Jan: g. Nadasi in An: dier. memorat.

MEDIVM VII.

Intercessores adhibere complures tam vivos quàm defunctos; & ex his illos potissimùm Sanctos qui sunt de Familia B. V. vel illi specialiter devoti ac chari fuerunt.

QVò gravius nobis incumbit negotium tractandum apud eminentes dignitate personas; eò plures adhibere solemus, & debemus, mediatores seu intercessores. Inter hos autem eos communiter deligimus, quos gratiâ & authoritate plurimùm valere constat. Sic causæ aliàs jam deploratæ erigi solent, sic conci-

conciliari offensarum venia, sic impetrari beneficia & honores. Methodum hanc impetrandi non tantùm apud mortales in terris, verùm & apud superos in cœlis plurimùm valere, cùm compertissimum haberet S. Ludovicus decus & corona Regum Galliæ, se regniq; sui negotia personis religione in Deum & Deiparam præstantibus identidem diligenter commendabat. Cùm autem Italiam peragraret, committere non potuit, quin Fratrem Ægidium ex Ordine D. Francisci sanctimoniæ non vulgaris famâ tunc celebrem inviseret, & pijs eius precibus se juvari oraret. Specialius est, quod ingenio, doctrina & pietate magnus Parisiensis Cancellarius, Ioannes Ger-

son

ſon agebat. (a) Convocabat ille agmen innocentium parvulorum, & iuſſos genua curvare ſic compellabat: Clamate pueri ad Deũ & ſic orate: Benigniſſime Deus & Domine, miſerere Ioannis Gerſonis! Tum erumpebant, ridente cœlo, ſtupente urbe, parvuli in altas voces, & clementiam divinam Gerſoni implorabant. Quia verò vivens aſſueſecerat innocentes illos ad præfatum propitiatorium carmen, evenit; ut etiam poſt mortem ipſius, terreſtrium illorum chorus Angelorum per compita urbis & templa diſcurrens idem inclamaret, & miſericordiam divinam Animæ Gerſonis ſui ſolicitaret. Pulchra invẽtio viri æquè pij ac docti, qua ex ore infantium ſimul perfecit laudem

laudem divinam, simul insigniter promovit salutem & felicitatē suam æternum! Nam, ut testatur S. Ambrosius (b) *Multi animi dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impossibile est contemni* Quod cum non ignorarent Israelitæ; imminente cum exercitu Holofernis extrema calamitate, *clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter* (c) expertiq; sunt eum concordis orationis suæ effectum, quem citato textui postmodum subiunxit Glossa, dicens: *Quod charitatis unanimitate petitur, citò impetratur.* Hac felicitate ut & tu potiaris, ac Deum Deiparamq; proniores habeas in vota & preces tuas, cura dili-

genter, ut complures, quos apud illos gratiâ plurimum valere putas, tum è vivis, tum defunctis, tecum conſpirent in idipſum, atq; ſic quaſi manu facta aggredere expugnationem cordis IEſu & MARIÆ. *Hæc vis Deo grata eſt*, ait Tertullianus (d)

Porro inter Sanctos, qui apud Deiparam V. gratiâ & authoritate quadam præſtant, primas tenent Beatiſſimi Progenitores ipſius. Ex proavis nominatiſſimus eſt S. Rex & vates David, à cuius regia maieſtate & pietate non parum honoris redundavit in V. Beatiſſimam: unde & in Evangelio appellatur Virgo *de domo David*: & ipſa in literis, quas ad Meſſanenſes in Siciliam adhuc mortalis dediſſe traditur (e) eum

(e) eum titulum non neglexit, quando hanc ipsis inscriptionem imposuit. *MARIA Virgo; Joachim filia, humillima Dei ancilla, Christi IEsu Crucifixi Mater, ex tribu Iuda, stirpe David.* Si Deus gravissimas poenas sæpè suspendit aut penitus avertit à sceleratissimis quibusdam regibus Hierosolymitanis, & omnis populi impietatem pæne nimiâ tolerantiâ sustinuit, *propter David servum meum*, ut loquitur ipse & creberrimè protestatur in divinis literis; quidni & Dei Mater in gratiâ sanctissimi & laudatissimi huius è Maioribus suis Viri præstet tibi minus quidpiam?

Quantum apud illam possint sanctissimi felicissimiq; Parentes

D 2 ipsius

ipsius, ille solùm ignorare potest cui ignotum est ius naturæ; aut qui putaret MARIAM iam gloriosam, per honores mutâsse mores, oblitamq; esse, se Ioachimo & Anna parentibus natam, Certè S. Anna invisens Franciscam Viterbiensem (f) monuit; *ut peteret à se quidquid vellet impetraturam se à Filio.* Si Deo & parentibus iuxta Philosophi & ipsius veritatis effatum par gratitudo rependi nequit; facilem omnino se præbeat oportet MARIA petentibus per Ioachimum & Annam, ut hac ratione gratificetur parentibus. Quidni & tu speres invisibili modo obtinere benedictionem, quam D. Ioachimus visibiliter impertire solebat Marinæ de Escobar (g) cum

cùm eam non rarò inviseret unà cum Deipara & Angelis cereos præferentibus?

Nôsti Gabrielem Archangelū eius fuisse Tutelarem (h) D. Iosephum dignitatem & amorem obtinuisse Sponsi: Zachariam & Elisabetham censeri meruisse inter Cognatos, Ioannem Baptistā uti & Evangelistam cum fratre suo Iacobo sanguinis & sanctitatis singularis vinculo fuisse junctos Deiparæ: putasne horum precibus nihil dandum aut parū à Cognata, à consanguinea, à virtutis zelosissima cultrice, deniq; à MARIA. Vnus Ioannes, dilectus ille Christo, ille primus à Christo disertè & in particulari adoptatus in Fratrem, in Filium verò à Virgine Matre, ille

Protector ac veluti suppar Gabrieli, Vicarius verò Iosepho, Custos Virginis, unus inquam, ille & solus omnino idoneus est, quo mediatore planè in speciale irrepas gratiam Dominæ, ac fere omnia apud illam possis. Vis specimen & argumentum potentiæ, qua gaudet Ioannes iste apud Deiparam? unum alterumvè obiter tangam.

Extremo morbo laborabat Ferdinandus Ioannis I. Lusitaniæ regis filius, unus è primis Dei Matris clientibus: viditq; subitò diduci coelum, ac Divum Ioannem Evang: unà cum S. Michaële Archangelo Reginæ suæ in sublimi throno considenti supplicantem, ut Ferdinandus ad convivium nuptiarum Agni invi-

caretur

taretur, & quantocyus admittere-
tur. Nec mora: annuit Virgo,
recepitq; benignè, se facturam
ut eodem die (aduerte festinatã
exauditionem) cœli incolis adde-
retur; quod & factum. (i) Sed
forte malles exemplum, quo pa-
teat dilectum IEsu & MARIÆ
discipulum plurimum posse in
avertendis gravibus, quibus pre-
mimur, malis? Est & tale in
promptu. Vtriq; non inficiaberis;
temporalium omnium malorum
gravissimum esse tormenta Pur-
gatorij, eo quod rigor Iustitiæ
divinæ magis ibi exerceatur quàm
inter nos. Vide iam, quàm fa-
cile inde expedire potest per
Deiparam animas nomine & re
gratiosissimus Ioannes. Refert
Cantipratanus nobilis scriptor (k)

notum sibi fuisse quendam Deiparæ ac S. Ioanni Apostolo apprimè addictum. Huius, anima cū cuidam, quo nuper singulari utebatur amico, comparuisset quo pacto libera evasisset è flammis lustralibus, recensuit. Nimirum Deiparam à S. Ioanne rogatam his verbis: *Ecce anima amici nostri torquetur in pœnis: veni quæso & libera eam.* Annuit suo Ioanni Deipara, & confestim eductam de calamitoso ergastulo animam, stipante & plaudente Ioanne deduxit in cœlum. Vnde patet; proponi Beatissimæ Virgini à Ioanne miseram animæ illius conditionem, idem fuisse, ac illam liberari. Adverte iam, quàm potenti potes uti Patrono apud Deiparam in mino-

in minoribus afflictionibus huius vitæ, cùm in eo degamus statu, in quo longè maior est misericordiæ divinæ vigor, quàm Iustitiæ rigor. Non evanuit adhuc aut evaporavit è Mariano corde maternus ille amor in Ioannem cuius ingens incendium sub cruce concepit Virgo, quando morientis Dei sermo vivus ac efficax factus est ad illam: *Mulier ecce Filius tuus*: Quibus verbis impressit Dominus statim, ut loquitur S. Thomas à Villanova cordi Virgineo amorem quendã maternum in Ioannem, fortiorem & ardentiorem, quam soleat matribus natura tribuere: Visceribꝰ etiam Apostoli reverentiam filialem in Virginem inseruit, qualem nullus filius naturâ ha-

 buit

buit in Matrem. Atq; ita, sicut dicendo, *Hoc est corpus meum*, verum corpus suum effecit ex azymo; sic etiam dicendo, *Hic est filius tuus*, amore filium fecit ex cognato, non tamen naturâ sed gratiâ; altiori tamen modo, quàm lex & adoptio filios efficere queat. Hæc Sanctissimus Præsul. (l) Vbi ergo tanta est personarum coniunctio, poteritne esse voluntatum dissensio, ut quod vult & petit Ioannes, nolit & abnuat MARIA?

Hi, qui sunt de domo & familia Virginis, si placeat plures alios accensere, qui nobis usui sint in conciliandâ ope Deiparæ: poterit ingens illorum agmen conflari ex ijs, quos inter & Deiparam mutuus amor

tenerior

tenerior ferventiorq; eluxit. Proponere hic viſum eſt è multis paucos, quorum nomina privata pietate concinnare licebit in modum Litaniarum, ut precantibus uſui ſint commodiùs. Invocetur itaq; v. g.

S. Alexius, qui à Deipara Virgine in veſtibulo templi Edeſſeni amanter commendari meruit.

B. Aloyſius Gonzaga S. I. cui B. Virgo ingreſſum in Religionem Societatis IEſu diſertè ſuaſit.

S. Bernardus, quem lacte Virgineo & ſalutatione mutuâ dignata eſt Virgo Mater.

SS. Bonaventura & Bernardinus, qui Seraphicis affectibus, concionibus & Pſalterio magnificârunt

ficârunt MARIAM.

S. Catharina V. & M. quam V. Beatissima Filio suo desponsavit.

S. Casimirus, omni die qui MARIÆ laudes dixit Virgini.

S. Dominicus, qui à Beatissima V. electus est, ut mundum universum SS. Rosarij usu ad pietatem Marianam inflāmaret.

S. Edmundus Archiep. Cantuariensis, qui à Beatissima V. in consuendo cilicio adjuvari meruit.

S. Franciscus Seraphicus, à festo SS. Petri & Pauli usq; ad festum Assumptionis, in honorem B. V. severè solitus jejunare.

S. Franciscus Borgia, cui pro tessera veri constantisq; Religiosi

ligiosi erat eximius cultus Beatissimæ V.

S. Gerardus, qui amore Beatissimæ V. quidvis petenti nunquam negavit.

S. Gertrudis miris illustrationibus & cœlestibus delicijs à B. V. recreari solita.

S. Hermanus à Beatissima V. in sponsum electus, & gratiosissimo Iosephi nomine honorat9.

S. Henricus Imperator, qui mille circiter templa B. V. ædificavit, ornavit, & dotavit, insigni castitatis dono ab eadem mirabiliter donatus.

S. Hyacinthus prodigiosus Statuæ Marianæ super aquas baiulus.

S. Hedwigis, quæ Imaginem B. V. quam vivens continuò in

manib9

manibus geſtabat, etiam mortua dimittere nolebat,

S. Ignatius Soc: IEſu Fundator, cui Librum Exercitiorum ſpiritualium & Conſtitutiones Ordinis ſui ſcribenti Beatiſſima V. ſæpiſſimê adfuit Magiſtra.

S. Ildephonſus Epiſc. quem B. V. cœlitùs allatâ ſacerdotali veſte donavit.

B. Koſtka S. I. cui Beatiſſima V. matris loco ſemper ab illo habita, IEſulum ſuum in ulnas tradidit.

S. Lucas Evangeliſta, qui cultum B. V. pictis propria manu Imaginibus per orbem totum feliciter propagavit.

S. Ludovicus Rex Franciæ, qui inter regias curas officium B. V. ſingulis diebus recitare

non

non omisit.

S. Margareta Princeps Hungariæ, quæ nullam transibat B. V. imaginem, quin flexis genibus Salutationem Angelicam recitaret.

S. Maria Ogniacensis, quæ certis diebus millies ac centies in genua procidebat ad honorandam cœli Reginam.

S. Nicolaus de Tolentino qui singulis sabbatis in honorem B. V. in pane & aqua jejunavit.

S. Osanna Virgo, quam Beatissima V. literas docuit, postquam illi Christus vulnerum suorum characteres impressisset.

S. Philippus Nerius, qui Deiparam titulo Virginis Matris creberrimè & suavissimè vene-

venerabatur,

S. Rosa Virgo Mexicana, cui B. Virgo Filiolum & ineffabiles delicias non semel concessit.

S. Stephanus Hungariæ Rex, qui totum regnum suum tributarium fecit cæli Reginæ.

B. Simon Stock Ord. Carmel. quem B. V. sacro Scapulari donavit.

S. Thomas de Aquino cui adhuc infanti dulcissimum bellarium fuit nomen MARIA in scheda conscriptum & absumptũ.

S. Theresia V. nihil unquam aggredi solita nisi sub patrocinio B. V. quam loco Matris semper habuit.

S. Vincentius Ferrerius Ord. S. Dom: cujus Castitatem variè oppu-

oppugnatam Beatissima V. illibatam est tutata.

S. Xaverius S. I. Indiarum Apostolus, qui Apostolicos labores & doctrinam à Salutatione Angelica auspicari, eâdemq; terminare consuevit.

S. Zeno Episcopus Veronensis insignis Encomiastes Virginis Beatissimæ.

His stipato auxiliaribus copijs licet fidenter aggredi cordis Mariani arcem non è rupe structam, sed ex charitate constatam; licet petere & sperare quidvis quantumvis magnum; modò meliori bono nostro non obsit quod petere præsumimus.

a Barry *in Anno S. 4. Aug.* *b. lib de pœnit: c. Iudith 4.* *d. cap. 39. Apolog: e Lyraeus* *in*

in Trisagio mar. l. 2. f. Nadasi in Theoph: M: Ludou. g. de Pon: in eius vita lib. 1. & 4. b. Bar: in Anno s. 8. Iulij d. Na: in Anno Amoris. K. l. 2. c. 53 l. Cono. de S. Ioan:

MEDIVM VIII.

Vovere B. Virgini eximium quoddam opus vel munus.

QVantæ sit efficaciæ hoc Medium, sole clarius demonstrant cerei innumeri, aureæ argenteæq; tabellæ, aliaq; pretiosa anathemata, quibus cernimus miraculis celebres B. Virginis Imagines tectas, quin & ipsos templorum parietes vestitos. Non omnes enim gratiæ cælestes precibus solis compara-

ri

ri poſſunt: frequenter præter verba ſpecioſa, operum etiam rerumq; impenſas, & quidem ſubinde non tenues requirit cælum; quas quamdiu negat tenacitas noſtra, tam diu carere debemus beneficijs optatis. Et æquum omnino eſt, ut vel ſic plectatur illiberalitas noſtra in ſuperos, qui aliàs in noſmetipſos & noſtros nimium ſumus profuſi. Prædia, domos, veſtes, eſculenta, poculentave magnis ſumptibus comparamus: medicos, pharmacopolas, cauſidicos opulentos faciunt detrimenta noſtra; at Deo Diviſq; ad quos tandem convertimur putamus ſatis eſſe evanidas precatiunculas & tepidi, ne dicam ſordidi, cordis halitum offerre. Quodſi triobola-

rem

rem cereum adijcimus, tum demum splendidè lauteq; nos litâsse putamus, iamq; non tam beneficium expectamus, quàm debitum exigimus, inter Caini potiùs familiam censendi quàm Abelis, cuius munera studiosè delecta ac liberaliter profusa aspexit non sine teneriore quodam gustu Dominus, suscepitq; in odorem suavitatis, neglecto Caino cum macilento hædo suo.

Sic & Deipara despexit quorundam Bononiæ in Italia accolarum illiberalem in se animum (a) Cùm enim adspectabilis facta certis hominibus imperâsset templum sibi ibidem ædificandum, in quo prodigiosas dispensaret gratias; incolæ humile sacellum erexerunt, quod rarus

tarus cultor cum aliquo munuſculo vel inſigni virtutis actu ſubibat.

Non contenta jis anguſtijs & parcitate Virgo, aliò migrare ſtatuit. Imaginem igitur ſuam in ſacello expoſitam ipſa extulit, & in rupe depoſuit: ubi paulo poſt è muneribus accurrentis populi excitatum eſt inſigne templum, cui gratiarum maior profuſio reſpondit.

Vicentinis etiam (Vicentia urbs eſt Venetæ ditionis) continuata per annos viginti duos peſte ad inſignem paucitatem redactis, demandauit prona in opem, licèt non, aut parum rogata: Deipara; ut certo, in quo apparuerat, loco templum ſibi ſtruerent, aliàs mortiferæ

plagæ finem non visuri. Delegit ad eam denuntiationem Anno 1426. 7 Martij pauperem sed piam foeminam, quæ Vincentia dicebatur: Cui ut promptiùs fides haberetur; fontem limpidissimum & saluti ferum inter duos, quos monstrabat, lapides promisit erupturum, si modicè terra foderetur. Amplitudinem insuper & formam templi ipsa Virgo designavit ductâ satis altâ fossâ pro fundamentis. Verùm Vicentinis fabulam canere visa est Vincentia, aut somnium referre. Et quod magis mirêre, in afflicta per tot annos urbe inventus est nemo, qui locum adiret, aquas quæreret, inspiceretq; num agrestis foemina ex arte Architectorum designâsset

gnâsset

gnâsset fundamenta templi, an
certè id superioris dexteræ opus
esset? Ita nempe animo cadimus
cùm tristibus urgemur è cælo,
itu quo vertiginosi solent, qui
nunquam profutura apprehen-
dunt. Omnia nobis credi volu-
mus, qui tam parum alijs credi-
nus. Expectavit integrum bien-
nium Deipara, si fortè lucidum
liquod intervallum affulgeret
Vicentinis, & vel unum homi-
nem otiosa deambulatio ad lo-
um destinatum, non plus mil-
e passibus urbe distantem, de-
uceret. At ubi advertit sanio-
em illis mentem non redire;
psa, qua est facilitate & indul-
entiâ in miseros, iterum Anno
428. 8 Aug: convenit Vincenti-
n suam tum, quando vel ma-
ximè

ximè sæva pestis recruduit, eademq; quæ olim ingeminat, & poscit. Currit itaq; vetula & vociferationibus urbem implet, ac tandem à Magistratu & Episcopo ægrè audita fidem extorquet. Itum itaq; rite instituta supplicatione ad locum, visisq; perinde acsi tunc erutæ fuissent, fossis pro templo, excito quoq; fluminis in modum promisso fonte: tum demum quisq; maturius habitam fidem voluit; tum homicidas suorum quisq; inclamare illos, quorum vitio tantum bonum tamdiu dilatum esset, nullo in se, omnibus in unumquemq; tanti facinoris piaculum conijcientibus. Ita est; nemo facit quod omnes faciunt. Cæterũ tam celeriter liberaliterq; exhibiti

biti sunt necessarij sumptus, tamq; alacriter desudârunt operarij ut amplissimum templum intra trimestre deproperaretur. Huius consummatio terminus fuit pestilentiæ post quatuor omnino & viginti annos contagiosos. Illud verò memoratu dignum; ijsdem momentis decrevisse pestiferam luem, quibus crescebat fabrica; qua absoluta, trecenti morbidi ex reperto fonte sanitatem integram biberunt. *Ex Historia Ecclesiæ Vicentinæ: lib. 1. c. 87.* Authore Francisco Barbarano Capuccino.

Ita quandoq; pijssima afflictorum Consolatrix non leve poscit operæ suæ pretium; alias non rarò notata est eximium

quoddam virtutis opus cum in-
signi humilitate aut mortificatio-
ne conjunctum, quod sibi vere-
retur, requisivisse. Hujus volun-
tatis suæ, præter alios, admonu-
it anno 1662. 20 Sept: insignem
Vilnensis Cathedræ Prælatum
Perillustrem D. Christophorum
Przesławscium, quem aliàs non
paucis gratijs dignata jam fue-
rat. Is gravi morbo pressus, cir-
ca secundam à meridie horam
audivit vocem disertè monenté:
ut cum tota familia sua coram
Novogrodensi nostra Deiparæ
Imagine, humi in modum cru-
cis stratus, Litanias Marianas
absolveret, atq; ad id voto se
obligaret. Paruit, & reducem il-
lico sanitatem habuit, (b) quam
appenso argenteo anathemate
testatur

testatus est.

Liberaliorem igitur oportet extendant manum ad MARIAM illi supplices, quibus amplior suppetit census: cæteri quantùm possunt, tantùm audeant, supplentes affectu pretium muneris: aut si muneris copia non sit, voto promittant jejunia, humi cubationes, visitationem alicuius Imaginis Miraculosæ cum incommodis itineris certum numerum Actuum contritionis, Amoris divini &c. Non sinet Domina se donis & officijs à subditis superari; sed præveniet, ut solet, voti executionem beneficij collatione.

Illustre huius beneficentiæ indicium non tam igne quàm motu suo præbet prodigiosus cere-

us, qui Clariaci in Gallia gran-
di mole ſtat coram Imagine B.
V. ingenti ferreâ catenâ alliga-
tus. (c) Habet autem hanc di-
vinitùs inditam aut admotam ſi-
bi vim; quod, ſi quis ſeu terrâ
ſeu mari de vita periclitatus
voveat ſe pro incolumitate ſua
iturum Clariacum, ibiq; Deipa-
ram veneraturum, illico tantâ
vaſtitate cereus, nemine hominū
admovente manum, ſemel ac
iterum ſeſe in orbem verſet tan-
to ſtridore, ut urbis incolæ
exciti ſtrepitu, mox ad templum
convolent, ac cereum quem de-
cem validi viri junctis viribus
movere non poſſent: circumactū
ſpectent. Rem ita ſe habere
plus quàm centies compertum
eſt: obſervatumq; inſuper, eam
rota-

rotationem illâ ipsâ horâ factã semper fuisse, qua votum editũ est; ut patuit ex collatione temporis & relatione eorum, qui periculis defuncti non sine prodigio, incolumes advenêre pro exolvendo voto.

Exultat nimirum MARIA, quando pia vota concipimus, & solutis ferreis catenis in tripudia quædam agit Cereum; dum nosmetipsos pio voto ceu aurea aut adamantinâ catenâ arctiús ipsi adstringimus.

Porro ut maiore tum solatio nostro tum gaudio Deiparæ vota concipiantur: observandum inprimis est, ut discretè, id est habita ratione statûs, virium, & honestatis concipiantur. 2do. Quamvis non tenearis ea, nisi

 specialiter

specialiter te ad id obligâris, ante impetratum beneficium implere: præstat tamen, si fieri possit, exolutionem etiam anticipare; ut hac ratione majoré testemur liberalitatem nostram DEo & Deiparæ, atq; efficacius non tantùm inclinemus sed impellamus eos ad assensum. Non enim volet ingrata vel tarda videri, quæ continuò in id est intenta, ut gratiarum suarum plenitudinem, quæ superaffluit, effundat in indigos. Gaudet charissima Mater ubera sua misericordiæ lacte turgida per vota pia prensari, ac affectibus calentibus veluti pressa exonerari.

a P. Gumpenberg in Atlante Mar. Imag. 232. *b. Ex Relatione Mirac: approbata*

&

& impressa Vilnæ 1673. e. Barry in Paradiso suo cap. 19. Exercit. 12.

MEDIVM IX.

Animas in Purgatorio detentas speciali aliquo modo juvare in gratiam Beatissimæ V.

PAucis in usu est hoc Medium. Sunt equidem non pauci, qui afflictas illas Animas impensè & variè juvare student: id tamen vel commiseratione moti, vel alias ob causas faciunt plerumq;. Tibi sub adversitatis alicuius pondere gementi expediet, ut velut incurius malorum tuorum, alienis avertendis te impendas, idq; in gratiam Deiparæ V. Hac

enim officiosa charitate longè plus favoris & auxilij apud illam mereberis, quàm si alijs, qui te sunt miseriores, neglectis pro te solo satageres.

Fundatur hæc veritas in ordinatissima charitate & commiseratione, qua fidelium omnium Mater MARIA fertur in omnes proportione quadam servata: ita scilicet, ut maiore & maiore feratur affectu studioq; in eos iuvandos, qui maiore premuntur calamitate, & minus se iuvare possunt. Cum ergo huiusmodi sit conditio Animarum in expiatorijs flammis detentarum, quas inter plurimæ sunt ipsi gratiosissimæ; immenso quodam ardet desiderio pijssima afflictorum Consolatrix, eas ex

illa

illa calamitatum abysso & immani tormentorum officina quantocyus eripiendi, permissis à divina Iustitia & clementia modis. Nec minore affectu, quàm Esther Assuerum (a) videtur quemlibet nostrûm compellare supplici illa oratione: *Dona mihi animam meam, pro qua rogo.* Hoc dono si Dei Matrem recreaverimus, adhibitis sacrificijs & satisfactorijs operibus, rem faciemus illi & Filio eius unicè gratam, non levi munere compensandam, & insigni elogio celebrandam. Nam Franciscæ de SS. Sacramento Carmelitanæ in comitatu complurium cælitum apparens Deipara (b) collaudavit charitatem eius erga animas illas: *Places,*

 inquiebat

inquiebat, *mihi multùm ob eam propensionem, quam habes erga animas Purgatorij. Amo enim illas tenerè ut amicas Filij mei.* Deinde cohortata eam ad constantiam in ea pietate, addidit: *Hoc sibi ac Filio suo admodùm placere, longèq; acceptissimum esse.* Christus quoq; Dominus eandem Franciscam collaudans dixit *Valde mihi places in eo, quod sis addicta juvandis purgatorij animabus.* Cùm ergo pro his orando, satisfaciendo aut sacrificium divinum curando, rem facias Christo & eius Matri tam optatam tamq; gratam: quidni insigni cum fiducia insigne quoddam ab illis speres præmium vel festinam ab adversis liberationem?

tionem? Quæ Mater hominem, qui filium eius chariſſimum è carnificum manibus vel Scythica captivitate ereptum ſibi reſtituit, non remuneraretur inſigni dono? Certè parentes Tobiæ Iunioris Raphaeli Angelo quem hominem putabant, dimidium bonorum omnium obtrudebant, quod filium incolumem ipſis reſtituiſſet. Fidem itaq; omnem meretur, quod B. Catharina Bononienſis de ſe ipſa fatebatur (c) Expertam ſe, quod quædam, quæ Sanctorum jam glorioſorum ope imploratâ non impetraverat, obtinuerit dato ſubſidio Animabus purgatorij.

Experta idem eſt in Liguria Italiæ Provincia vidua honorata ſed pauper, & anxiè ſolicita de

corradenda summa trecentorum aureorum in redemptionem Filij sui à piratis capti. (d) Instituit ista opem ab ijs clam corrogare, qui opulentiores & liberalioris animi videbantur. Adijt ergo, vincente verecundiā necessitate, Sacerdotem veste serica splendidum, eiq; modestè suggessit, egere se eleemosyna luculenta pro filio redimendo. Ruborem offudit ea petentis vox bono sacerdoti, utpote conscio sibi egestatis propriæ sub splendida veste latentis: non tamen politica cærimoniâ, ut hodie fieri amat, eludere voluit preces; sed ingenua veritate confessus est & non negavit: etiam se licet utcunq; vestitum, egere. Redire se è templo, ubi frustra

diu

diu expectârit julium aliquem (moneta est Italica) pro Missæ sacrificio, sed neminem fuisse, qui Missam expeteret, adeóq; se eo die nec prandium nec cænam habiturum. Ea hominis egestate commota bona vidua, illico promosit è sacculo julium unum, id est decimam septimam partem aurei unius Vngarici; & sacrum pro Animabus Purgatorij petijt celebrari, ut Deo sibi afflictæ succurreret. Abijt Sacerdos ad faciendum pro mortuis. Vidua interea de alio ditiore, quem adiret, solicita, incidit in senem ignotum; eiq; id quod erat, supplex & verecunda de filij calamitate exposuit. Mox ille bono animo esse jussam ad mercatorem, quem nominabat,

&

& ipſa probè noverat, miſit; ſimulq; ſchedam in manus dedit. Non procraſtinavit matrona hominem, ad quem mittebatur, adire, eiq; confeſtim ſchedam porrexit. Ille viſo chirographo agnitoq; cuius eſſet, attonitus, eam interrogavit: ecquis ei ſchedam illam dediſſet? num ſi eum pictum videret, poſſet agnoſcere? Affirmavit illa eum ſuæ menti tam bene impreſſum eſſe, ut ſit eum certò in imagine agnitura. Tum ille ductæ ad amplum conclave longam imaginum ſeriem oſtendens, juſſit edicere, cui ex his eſſet ſimilis homo ille? Nihil hæſitans fœmina unam digito indicans: Huic, ait, ſimillimus eſt. Atqui reponit Mercator, hic ipſe meus

Pater

Pater est, mortuus circiter ante decennium, cuius est & chirographum quod attulisti. Dabo igitur perlibenter, qua indiges, aureorum summam; siquidem ita Deus vult, & pater meus iubet. Nec mora: cùm dicta factis implevit mercator; & Matrona ditata jam tanto lucro, quod ei pepererunt pauci grossi, in subsidium Animarum erogati, didicit veritatem divini illius oraculi (e) *Fœneratur Domino* (addere licet, & MARIÆ) *qui miseretur pauperis*, illius præsertim, qui Deo charissimus, calamitate summâ oppressus, se ipsum iuvare non potest, supplicesq; ad nos tendit manus, ut exemplo Christi suscitantis in civitate Naim filium defunctum

functum viduæ, *reddamus eum Matri suæ* ac Dominæ nostræ, quæ S. Brigittæ disertè fassa est (t) *Ego sum Mater omnium, qui sunt in Purgatorio.* Rependet illa, ne dubita, liberalissimè etiam exiguam stipem pauperrimis his filijs suis porrectam.

a cap. 7. b. Michael de la Nuza in ejus vita l. 1. & 2. c. Benettus de Purgat: c. 1. d. Engelgr. tom 2. cæli Emp. 2. Nov. e. f. Recognitorum Revelat: l. 4 c. 138.

MEDIVM X.

Sacrum de B. Virgine curare, atque illi devotè interesse.

Q Vantumvis Sacrificium

Missæ

Missæ secundùm substantiam suā uni soliq; Deo offeratur in odorem suavitatis: plurimum tamen conducit etiam ad honorem Deiparæ Virginis, & ad lucrandas per ipsam ac Filium insignes gratias. Nam inprimis quod ad conficiendam, quæ ibi offertur, hostiam vivam ac veram, qua (ut loquitur B. Laurentius Iustinianus serm. de Corp: Christi.) *Nulla maior, nulla utilior, nulla amabilior, nullaq; oculis divinæ maiestatis est gratior,* ipsa Virgo contulerit partem purissimi corporis sui, eamq; unà cum S. Spiritu elaborârit: summo id illi honori est coram cælo & terra, gaudetq; animitùs toties, quoties videt, æternæ Trinitatis maiestati unicè

congruum

congruum condignumq; munus offerri de suo. Ad hæc in quovis sacrificio, quod Missam dicimus, plurima interveniunt in honorem, venerationem & laudem Deiparæ accōmodata. Expedire nihilominus visum est Ecclesiæ sanctæ ut ordinarentur speciales Liturgiæ seu Missæ in specialem cultum & venerationē Dei Matris; quæ absolvi possent tum recurrentibus eius festivitatibus, tum ingruentibus specialibus necessitatibus, aut pro singulari fidelium devotione. Quantum verò huiusmodi Missæ valeant ad conciliandam eius gratiam, & in dubijs adversisq; opē, innumeris tum veteribus tum recentibus consignatum est experimentis.

Inter

Inter cætera non obſcurum eſt, quod refert Cæſarius (a) de nobiliſſimo ac Deiparæ cultui addictiſſimo Equite Belga, Waltero de Birbach. Pergebat is cum alijs quibusdam magnatibus ad Equeſtres, qui ſolemni die dabantur, ludos, quorum ipſe, utpote bello exercitatiſſimus, pars magna futurus eſſet. Pergenti offert ſe occaſio in via rem divinam audiendi. Quare comites rogat, velint una ſecum tantiſper ſubſiſtere. At illi veriti, ne juſtò tardius ad certamen venirent, allatâ feſtinandi cauſâ viam proſequuntur. Interim Walterus jubet ſibi ſacrum de B. V. dici, cui ad finem uſq; præſens adeſt. Deinde amanter Virginem ſibi propitiam precatus, cui ſe

totum

totum permittebat, equo incitato comites insequitur. Cùm à loco pugnæ ludicræ non longè abesset, ex quibusdam obvijs percontatur: num certamini jam datum sit initium? Qui affirmantes illud iam cœptum, cùm ignorarent, cui loquerentur, addebant: quendam Walterum de Birbach in ea pugna mira facinora edidisse, unumq; omnium ore celebrari. Agnovit vir pius luculentum pietatis suæ præmiū: voluisse nimirum Deiparam; ut quando ipse in eius honorem sacrificio divino assistebat, Angelus suo nomine militares ludos ageret, triumphum Walterus piè otiosus reportaret.

Recentius grandiusq; est beneficium, quod simili obsequio

meritus

meritus eſt Joannes Nunnez Luſitanus (b). Is quantumlibet vitam ageret ad ſanctimoniæ normam ita compoſitam, ut paſſim, ſanctus Abbas vocaretur; gravi tamen animi anxietate continuò laborabat, cui nullum remedium reperiebat: imò quantò magis orationi inſtabat, tantà maiore animi inquietudine torquebatur, donec tandem divino, ut eventus docuit, conſilio ſtatuit curare certum Miſſarum numerum de B. V. celebrari. Vix is finitus erat, cum adſpectabilis ei adeſt cœlorum Regina, tempeſtatem omnem momento diſpellit, iubetq; Religioni Societatis IESV ſeſe aggregare. Paruit extemplò, vixitq; in illa animo ſemper tranquiliſſimo

quissimo tantæq; virtutis, ordinariam supergressæ, opinione; ut pòst à summo Pontifice creatus Æthiopiæ Patriarcha, dignitatem illam zelo Apostolico omnino implêrit.

a. lib. 7. c. 39 b. Barry in anno S.

MEDIVM XI.

Novemdialem devotionem ad B. V. instituere.

VIget in quibusdam regionibus Novemdialis ad Deiparam V. devotio tanquā efficax medium eblandiendi necessarias gratias aut aversionem incumbentium malorum. Efficaciæ huius complures testes videre licet in Atlante Mariano, è quo unum alterumve accipe, & quidem

& quidem dignitate ac religione eminentes.

Hieronymus Mariquez Avilanus in Hispania Episcopus frustra tentatis alijs ad lethalem morbum tollendum medijs, ad MARIAM deniq; à qua non rara salus etiam desperatis, solitò maiore cum fiducia conversus, iussit apportari ad se miraculosam eius Imaginem, quæ *subterranea* dicitur. Solet enim hæc gravi vultu terrere peccantes, blandissimo verò intuitu recreare eos, quibus datura est beneficium. Ubi ad infirmum, qui ardentibus suspirijs fatigabat cælum, ac Novemdiali devotione spoponderat se honoraturum Deiparam, delata est sacra statua, atq; in eius conspectum venit: illico,

illico, quæ fugerant, redire sensit vires: tantoq; incremento convalescere cœpit, ut Novemdiali devotione finitâ, morbus quoq; finiretur, & ipse salvus suis pedibus consistens S. statuã comitaretur reducem ad suum sacellum. (a) Simile beneficium simili officio consecuta est ibidẽ religiosa Virgo è Cænobio S. Annæ. Hæc defluxione pertinaci pænè oculos perdidit, nullo prorsus mali remedio, quantumvis peritissimi consulerentur. Obtentâ superiorum veniâ ad novemdialem devotionem in sacello peragendam, cùm ad primum ingressum in hæc verba prorumperet: *Domina, ego à Te sola sanitatis remedium spero*: subito evanescente omni malo,

malo, debitam oculis suis temperiem & sanitatem restitutam vidit. (b)

Placeat & tertio exemplo oculos commodare, ut testium trias perfectam faciat probationem. Libaduni in Lotharingia colitur prodigiosis gratijs celeberrima statua B. V. quæ hodie appellatur *Virgo pulchri amoris*: Ad hanc prima omnium se recepit tanquam ad aram salutis Anno 1643 ægra è plebe fœmina, quæ corollâ floreâ S. statuæ impositâ cùm impensiùs oraret, faciem Virginis, cæli injurijs denigratam, vidit in singula momenta sensim mutari, & mira albedine coruscare; quin etiam ipsum candorem illum advertit in totam vestem deflu-

ere. Portento attonita vicinos clamoribus advocat, qui omnes rem pro miraculo habuêre; omnis denique populus accurrens, voce unâ hic esse locum gratiarum conclamavit. Claudia verò (hoc fœminæ memoratæ nomen erat) postquam novemdialem precationem Deiparæ admensa est, primum ab illa favorem accepit, nempe sanitatem à plaga, quam annos iam quinque apertã summis cum doloribus circumferebat. (c)

Perspectâ devotionis huius virtute, quæ forte instituta est ex occasione novem mensium, quibus Misericordiæ Mater Redemptorem generis nostri utero Virgineo circumtulit; scire forsan optas: quali nam particulari

lari devotione Novendium iſtud ſit celebrandum? Nemo alius aptiorem ſuggeret, quàm ardens in Deiparam amor, ſtimulo urgentis neceſſitatis excitatus. Nihilominus ut pietati tuæ aliquid præſtetur, pauca accipe. Inprimis practicari poterunt novem ex præcedentibus medijs, ſingulis diebus aliud & aliud in opus deducendo. *Vel*, ſi libuerit poteris novem Angelorum choros devotioni tuæ præficere, ac veluti interceſſores aut mediatores apud Reginam ſuam & tuam adhibere, ſingulis diebus alium Chorum in ſubſidium vocando. v. g. 1mo die Angelos, ſecundo Archangelos, tertio Virtutes, quarto Poteſtates quinto Principatus, ſexto Domina-

tiones, septimo Thronos, octavo Cherubinos, nono Seraphinos; ac tandem omnes simul in unum agmen coacti expediantur pro domo & re tua oratores. *Vel*, si commodius videbitur, poteris primo die præmittere jejunium strictius: secundo Confessionem & Communionem S. absolvere: tertio sacris aliquot devotè interesse: quarto Templa aliquot B. Virgini sacra, vel Altaria aut Imagines ejus celebriores visitare, aut si id commodè fieri non possit, domi per varia loca dispositas aliquot Imagines Marianas supplex adire; quinto Opus aliquod misericordiæ exercere erga pauperes vel afflictos, ut & tu misericordiam apud Deiparam consequaris: sexto Litani-

as Lauretanas sæpius iterare cum officio aliquo B. V. septimo Rosarium vel Coronas aliquot devotè & meditatè recitare: octavo silentium & solitudinem domesticam captare: nono deniq; die heroicum aliquod opus cum insigni aliqua mortificatione & victoria sui, qualis est condonatio offensæ alicuius, exercere. Ne dubita adfuturam, quæ victorem coronet in misericordia & miserationibus, Deiparam.

a. Imag. 375. b. Ibid: c. Imag. 132.

MEDIVM XII.

Sabbativis diebus Beatissimam V. impensiùs colere & ardentius invocare.

SAbbatum dies Marianus & gratiarum est, semper in præcipua observantia habitus ab ijs, qui Mariani dici & esse amant, aut speciali Virginis gratiâ egent. Quamvis enim nunquam non fuerit profusa beneficiorum in genus nostrum; sabbativis tamen id est suis diebus inventa est profusissima. Non est opus veritatis huius testes è ruderibus antiquitatis producere, quando recentium agmen non tantùm libros sed oculos ipsos occupat. E plurimis prodeant pauculi. P. Petrus de Anasco è Societate nostra vir planè Apostolicus, eximius Deiparæ Virginis cultor, magnis rarisq; virtutibus illustris, in perarduis Peruanis Missionibus defun-

defunctus Anno 1602, ſanctè teſtatus eſt; ſe ſingulis ſabbatis præcipuum aliquod beneficium, deprecante Beatiſſima V. à Deo accepiſſe. (a)

Non vulgarem ſabbati gratiã experta eſt & fœmina illa, quã in Provincia Romana Anno 1592 peſſima trias malorum dæmonum obſeſſam tenebat ac dirè torquebat. Hi inquietiſſimi hoſpites cùm Exorciſmis ab Eccleſia uſitatis premerentur, confeſſi ſunt inviti; Deiparam ſibi interdixiſſe, ne ſuo die, hoc eſt ſabbato ſolitâ ferocia in miſeram deſævirent, nec tantam exercerent vexationem, ut illa percurrere Coronam precatoriam non poſſet. Addiderunt tamen; ſi, datâ hac indulgentiâ, vel

semel sua sponte aut alijs tentationibus seducta, eam precationem foemina intermisisset; sic uisse sibi eam confestim vel in proximum fluvium, vel ab altissimis rupibus præcipitem dare. Nunquám intermisit: & nos, inquiebant, re infecta exturbamur. (b) En indulgentias sabbati Mariani: en fructum constantis in Deiparam pietatis: en periculum pœnamvè temere interruptæ piæ consuetudinis.

Ex Indijs Peruvianis & Italia si in Germaniam Bohemiamq; concedamus, non minorem sabbati religionem & gratiam deprehendemus. In locis enim non paucis illarum regionum certis anni temporibus ea exardescit frequentissimè concur-

rentis

renti populi pietas Sabbativa; ut tum propter insignem celebritatem, tum propter gratias copiosius tunc exundantes, Sabbata aurea appellentur. Hinc, præcipuè Herendalij in Germania Inferiore, communis invaluit opinio, teste Wickmano; quamlibet quantùmvis grandem gratiam infallibiter obtinendam à quovis, qui tribus consequenter sabbatis in eo templo debita pietate supplicaverit Deiparæ. Cui persuasioni seu piæ opinioni favit hucusq; experientia creberrima.

Nec in Polonia Litvaniaq; nostra friget sabbato Marianus cultus; ut patet ex severitate jejunij, quod eo die longè la-

tèq; celebratur, ex frequentia expiantium per sacramentorum usum Animas, ex vocali pietate, quæ eo potissimum die in templis omnibus resonat &c. Nec mirum est ita omnem populum verè Christianum conspirare in singularem observantiam sabbati: quando non tantùm frequentatis beneficijs, sed etiam sæpiùs repetitis prodigijs placuit divinæ Maiestati pietatem nostram ad eam religionem non tam invitare quàm urgere. Prodigiosissima est, quam in Constantinopolitana Basilica velut orbis theatro, divinitùs olim datam esse scenam refert Durandus in Rationali. Visebatur ibi à frequenti populo Deiparæ

Imago

Imago multa religione celebris, quæ ut ex abdito maiorem vibraret maieſtatem, & continuo intuitu levibus intuentium oculis non vileſceret, velo plerumq; obducto tegebatur. Sub veſperũ verò Feriæ 6tæ, nemine hominum admovente manum, diducebatur velum, patebatq; Deiparæ effigies colentium pietati uſq; ad veſperum ſabbati quo tempore rurſus occulta vi adducebatur ſiparium, prodigio tanto maiore quò diutius continuato. Quid verò iucundiſſima & venerabili hac ſcenâ voluit auctor Deus; niſi ut ijs potiſſimum diebus ampliora Matri ſuæ, pijſſimæ inter Filium Iudicem & reos homines Mediatrici, exhiberentur pietatis officia, & ab eadem

dem uberiora reciperentur gratiarum munera?

Suadet id ipſum jam perennante alveo ſuo, velut divite eloquentiæ venâ Sabbatius Paleſtinæ fluvius. Fluebat is continuato per ſex hebdomadæ dies curſu; ſeptimo, ſcilicet ſabbato ſiccabatur, quamdiu legis veteris ritus vigebant, teſte Ioſepho l. 7. c. 24. at in nova Gratiæ lege pleno Sabbatis omnibus cæpit ferri ferturq; alveo. Redundat nimirum tunc uberior IEſu & MARIÆ gratia: pro qua haurienda accurrite ſitientes; ſed vaſa capacia & munda afferte. Si inquinata ſunt; accurrite tamen modò lavare & lavari velitis. *a Nadaſi in annal. Mar. n 390 b Ibi d n 328.*

CA-

CAPVT III.

In usu quorumvis mediorum frequentissimè eliciendi actus spei & confidentiæ ad B. Virginem.

QVàm necessariò quasuis preces & suspiria, quæ ad Deum expedimus, comitari debeat grandis fiducia & spes firma impetrandæ gratiæ, luculenter verbo & exemplo docuit salvator, noster; qui dum speciale beneficium parabat petentibus, ad vivam fidem & spē firmissimam eos passim excitabat: imò omnes fideles monitos voluit Marci 11. *Credite quod accipietis, & fiet vobis.* Simile quid inculcandum afflictis ad

ad Deiparam confugientibus: ſperate, confidite quod accipietis & fiet vobis. Quid enim MARIA, niſi vita, dulcedo, & ſpes noſtra? Quis in eius, poſt Deum, opem ſperavit, & deceptus eſt? Certè cum P. Hieronymo Anſaldo S. I viro prodigioſis gratiis honorato, amanter expoſtulavit Deipara; quod tam parcus & verecundus eſſet in petendo: *plura deinceps & majora petere auderet.* (a) Si cætera deeſſent, ad inſignem fiduciam erigere nos deberent tot eius Imagines, quarum pleraſq; ipſa petentium viva fiducia fecit miraculoſas. Adrepunt ſpe ſuffulti debiles, & roborantur; ſuſpirant afflicti, & recreantur; gemunt lecto affixi & ſanantur;

recur-

recurrunt peccatores, & veniam consequuntur; respiciunt iusti & magis iustificantur. Nam, ut rectè notavit Bernardus (b) *quemadmodum sol super bonos & malos, super iustos & peccatores indifferenter oritur; sic MARIA præterita non discutit merita; sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates materno miseratur affectu.* Advertit tantam beneficentiæ Marianæ facilitatem Ioannes Berchmans è Soc: IEsu, ob morum innocentiam & virtutum splendorem, Angelici nomen sortitus: proinde Seraphico affectu in tam liberalis animi Dominam exardescens disertè profiteri, & scripto etiam

etiam testari non est veritus: Si MARIAM amo, certus sum de salute mea, & in religioso statu perseverantia; certus insuper sum, me omnia quæ voluero, impetraturum à Deo, adeóq; quodammodo omnipotentem fore. (c) Non dixisse illum nimia, testantur Spiritualium periti, & qui Deiparam penitius nôrunt: confirmant insuper mirabiles gratiæ & eventus; è quibus memorabilis omnino est, quem latè fideliterq; tradit P. Octavius Caietanus S. I. in Opusc: posthumo de B. V.

Catanæ, celebri Siciliæ urbe, perantiquum sed ita neglectum fuerit B. V. sacellum, ut nec æditum haberet. Assumpsit tandem aliquam eius curam devo-

ta quædam vidua Benigna nomine, quæ tum constantiâ pietatis, tum vigore ingentis spei suæ, prodigiosum fecit eum locum. Habuit illa filium & filiam duodennem: sed filij solatio non diu frui licuit. Nam bello à Turcis captus, abductus est. Accidit ut mater more sibi consveto vespere quodam lampadem in prædicto sacello accenderet coram Virginis icone arsuram noctu; cùm insolito pietatis sensu tacta, atq; in spem vivaciorem erecta, non tam petit à Deipara, quàm certissimò affuturum edicit paupertati suæ solatium. Utiq; inquit, Deiparæ beneficio, priusquã moriar, salvum videbo filium meum! Hoc dicto, & templo clauso domum abit, ostiumq;

domûs

domûs obſerat. Sed ecce adeſt qui repetito pulſu fœminam revocat ad oſtium reſerandum. Turca præ foribus ſtetit, veſtitu ſuperbo, dexterâ poculum, ſiniſtrâ urceum tenens velut alicui propinaturus. Illa horrore correpta claudere fores maturat & revocare greſſum: at inhibetur ab advena, filium ſe profitente. Mater inquiebat, iam ante menſam Domini mei (Baſzæ) Conſtantinopoli ſtabam, hoc quod vides poculum ei porrecturus, & ecce me hic video. Tuis utiq; precibus huc delatus ſum. Simul ad pedes matris abjectus lacrymis eos rigat. At Mater velut è gravi ſomno emergeret, non mea mi Nate, reponit, ſed Deiparæ gratiâ hic ades. Si tu ipſe

es,

es, eamus; & Benefactrici spes meas tam prodigiose implenti pendamus grates. Supplices adierunt sacellum & urceum poculumq; allatum in anathema Deiparæ appenderunt; quæ vasa extant adhuc, sed in thuribuli formam, quantum per artem licuit mutata. Sic animata Matrona, ausa est ampliora sperare. Filiam proinde crebrò monet, ut ad omnes honestatis pietatisq; leges sese componat, curam sacelli & cultûs Mariani etiam post sua fata, constantem habeat; cætera Deiparam curaturam, ut dotem necessariam & matrimoniũ honestum. Nec fefellit illam spes. Detinebatur Panormi à fisco vir quidam opulentus carceri inclusus; qui tormentis ada-

ctus

ctus se ipsum falsa confessione reum fecit capitalis criminis. Interim dum lethalem sententiam anxius expectat, succurit cogitatio: ut votum concipiat ad Deiparam V. *de Dalacha* (ita vocabatur Imago Deiparæ, quæ in memorato sacello stabat) licèt ignotam sibi. Nec mora, votum concipit huiusmodi: Si vitâ Virgo innocenti servaret, se in eius honorem ducturum in uxorem Virginem pauperem sine dote. Placuit cælo votum raritate sua speciosum. Vix orationi finem suspirio dedit: cùm vir Equestris adest, qui sua merita prolixè recensens, docet; se illorum pretio obtinuisse à Prorege veniam, Captivum, quem vellet, à vinculis eximendi, modo is esset,

ſet, cui læſus adverſarius non obſtaret. Tibi itaq; inquit, quia talis es, gratiam vitæ impertior. Vinctus gratias homini agit amplissimas, & mox carcere liber Catanam properat Virgini de Dalacha grates relaturus. Huc appulso, & de via, quæ ad ſacellum duceret, ſolicito, ecce occurrit puella; quæ ab hoſpite rogata viam non verbis tantúm & digito monſtrat, ſed ductricem ſe præbet ædemq; ſacram ipſa aperit. Ingreſſus ille, poſt venerationem & gratias Deiparæ actas æditurum vocari jubet, honorarium daturus pecuniam. Tum puella: paupertas inquit ſacelli hujus alere æditurum nunquam potuit; ego è mandato Matris jam defunctæ omnia illi obſequia

per-

permiſſu DD. Canonicorum, gratis præſto. O quàm illa mihi hoc officium intermortuis vocibus imperioſè commendavit! ſpopondit quoq; fidelitati meæ, ut Deipara me aliquando honeſto ac diviti marito in matrimonium collocaret. Quibus dictis, ſoluta in lacrymas puella, verecundo rubore orationis ſuæ epilogum purpuravit.

Viro iam antè in Deiparæ cultum incenſo recurrit votum in carcere conceptum. Et quid ſi hæc ipſa ſit, quam mihi Deipara præparavit? Virgo eſt, pauper, pia & honeſta. Nec mora: advocatis quàm primùm idoneis teſtibus omnia ex ordine in templo denarrat, puellam ſibi deſpondet, ſpem ac fiduciam pau-

peris

peris Matris cumulatè explet, totamq; Civitatem multiplici miraculo attonitam, gaudio implet. Gesta sunt omnia Anno 1500, & rite ab Episcopo approbata, in pariete quoq; templi depicta, posteritatis fidei, atq; in Deiparam fiduciæ sunt commendata.

Proinde, In te Domina speravi, non confundar in æternum!

Domina si vis, potes me juvare, credo, spero Domina adjuva incredulitatem & diffidentiam meam.

PARS II.

Quid agendum post impetratam gratiam?

CAPUT I.

Vota

Vota DEo ac Deiparæ facta quantocyus & quam fidelissimè implenda.

Illustri ac planè regio exemplo suo celeritatem & fidelitatem in reddendis, quæ feci mus, votis commendat nobis sacer Psaltes. Vbi enim memoriam subierunt beneficia à DEo accepta; protinus de gratitudine solicitus inquirit Psalmo 115: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Nec multa usus deliberatione, debitum suum ac nostrum agnoscit & profitetur: *Vota mea reddam Domino;* nec intra privatos parietes, solo Deo teste, reddam, sed *coram omni populo eius,* ut omnes mecum laudent

dent Benefactorem largissimum. Hodie plurimi eorum, qui necessitate gravi adacti erumpunt in vota, Deoq; ac Deiparæ veluti ferreis catenis sese obstringunt; ubi voti damnantur, obliti largientis, fruitioni beneficij toti immerguntur: non secus ac lutea illa animalia, quæ in pastorem irrepentem in fastigium quercûs sunt intentissima, eumq; querulo grunnitu sequuntur; at ubi ille glandes deiecit, etiam suspici ab ipsis desijt. Meliora nos docet fera illa, cuius cæcam prolem illico in oculos sputo S. Macarius Alexandrinus lumine donaverat. Nam ut pro beneficio gratam se exhiberet catuli mater, illico venationi se accinxit, & prehensæ oviculæ exuvijs bene-

factorem donavit, ut testantur vitæ PP. Nos gratitudinem Deo ac Deiparæ debitam, votorumq; exsolutionem nepotibus transcribimus; quibus communiter ut exiguus vel nullus inest accepti beneficij sensus, ita tenuis aut nulla gratitudinis cura. Quo fit, ut, dum hoc etiam titulo obærati è vita discedimus, iusto divini tribunalis decreto purgantis ergastuli tormentis subjiciamur, donec debitum usq; ad minimū quadrantem solvamus patiendo.

Evenit id, præter complures alios, illi qui voto se obstrinxerat, nescio quâ pressus indigentiâ, visitandi B. Virginem Vechentalensem in Germania. Verùm, ut fit, votum ille primò differre, dein negligere. Occupa-

tus

ctus interim à morte, traditur tortoribus, quorum immanissimam lanienam diu perpessus, obtinuit tandem, ut è flammis, quibus hanc ob causam addictus erat, tantisper evadere, & prædictum locum sacrum liceret sibi saltem post fata invisere. Venit, & Virginis prodigiosam Statuam in columna religiosissimè veneratus est. Ne verò nasuti aut increduli posteri rem gestam in dubium vocarent; grandes expiatorij ignis notas, præsentiæ suæ testes, in ipsa illa lapidea columna reliquit. Tam luculento testimonio suum junxerunt Superiores loci, jubentes rem totam ipsis templi muris inscribi, ut ipsi lapides ultricibus flammis velut animati, fidelitatem in votis exsolvendis

commendarent posteritati. (a)

Simili pœna similem culpam expiârunt in Germania eâdem duæ mulieres è Willisaviensi districtu quæ calamitatis cuiuspiam impulsu voverant, se unà invisuras B. Virginem Eigentaliensem. Verùm promissis ob negotia domestica, deinde ob anni tempus non satis commodum, de mense in mensem dilatis, contigit, ut altera moreretur. Superstes altera commoditatem nacta, sola sine comite peregrinationē promissam devotè instituit. Vix viæ se commiserat; cùm adest altera illa fœmina, sed specie ignotâ, offertq; se viæ sociam. Postquam utraq; in loco sacro pietati suæ litâsset, & iam ædes propriæ reducibus in conspectu essent;

essent: tum illa, quæ comes alteri accesserat, quæ esset, aperuit affirmavitq́; se nunc tandem voto liberatam astra Deumq́; petere: & mox inter fulgores cæleſtes videri desijt. (b) Nimirum sesquipedalibus aurearum sanctarumq́; pollicitationum verbis contenti non sunt cælites: dant, ut des. Politicorum aureos montes promittentium fuco illudi sibi non patiuntur: quin sæpè festinato supplicio, vel morbis repetitis, vel alijs calamitatibus immissis castigant infidelitatem etiam ante fata, admonentq́; debiti sui negligentes.

Sic sapere doctus est in Diœcesi Tridentina (c) vir nobilis. Is in gravem morbum lapsus, deniq́; etiam mente captus est:

unde catenis vinctus lectoq; affixus miserum triennium miserrimus traducere debuit. Indulsit tamen homini aliàs recto & pio bonus Deus libera quædam intervalla; inter quæ subinde conspicuam se illi dedit Deipara, consolans laborantem, ac tandem etiam monens de templo sibi in certo, quem nominabat loco construendo, quod olim maximo piorum concursu & prodigiosis gratiis celeberrimum esset futurum. Verùm simul ac Deipara discessit, abscessit simul à Leonardo (id nomen erat viro) rationis usus. Semel domesticorum fefellit diligentiam, & catenis, nescio qua arte, exutus, per sylvas & præcipitia vagatus tandem ex altissimi montis supercilio

percilio in profundissimam abyssum præceps ruit. Sed casus quàmvis gravis, salutaris fuit. Nam & rationem & Deiparam afflicto reddidit, atq; cum hac tam validas corporis vires, ut novemdiali inediæ sufficerent. Interea studiosè quæsitus à suis Leonardus tandem nono die in prædicta valle repertus est integer omnino. Inter plausus & amplexus prædicavit ille Deiparæ V. gratiam; cui ut gratitudinem aliquam testaretur, voto se obstrinxit struendi facelli in eius honorem. Sic reductum est per longas & asperas vias ad prædium: ubi cum rem oeconomicam toto morbi sui triennio latè neglectam, nullos agrorum, nullos vinearum fructus reperi-

ret: prima homini cura fuit (ut fere apud homines consuevit) non sacelli extruendi, sed oeconomiæ restaurandæ. Occupavit viscosa hæc temporalium cura boni patrisfamilias animum ita, ut obrepserit fœda oblivio voti. Sed abeunte sacelli cogitatione redijt morbus, iterumq; Leonardus se catenis ligatum lectoq; affixum ingemuit. Perculsi reduce calamitate domestici facilè causam reditûs agnovere. Ergo herum ad locum præcipitij illius, ubi sacellum voverat, ducunt; ubi primus ipse arrepto ligone fodere fundamenta cæpit lucrosissimo labore. Nam post exiguum conatum & sanitatem integram, & insignem Deiparæ V. statuam lapideam reperit,

perit, quam impigrè & liberaliter exſtructi ſacelli Aræ maximæ impoſuit, innumeris deinceps beneficam miraculis.

Non inutile erit ad id, quod hîc ſuademus, perſuadendum, quod evenit piſcatori Meſſanenſi in Sicilia. Colitur in ea urbe inter complures alias miraculis honoratas Divæ V. Imagines una à S. Eraſmo appellata. Ad hanc tres piſcatores trium navicularum domini, cûm iam in procinctu ad piſcationem eſſent, audito campanæ ſigno confluxerunt, ut SS. Miſſæ ſacrificio religioſè intereſſent, atq; ſic, more proborum, magis auſpicatò aggrederentur laborem. Finito ſacrificio, unanimes conſpirârunt in votum, quo Deiparæ certam pi-

 ſcationis

ſcationis partem ſpondebant, Succeſſit è voto piſcatio, ſed voti executio alteri ex animo abſceſſit. Duo ex illis promiſſam partem templo intulêre; uſi etiam deinceps feliciſſima ſemper piſcatione, quia ſemper ſe præſtabant fideles in exequendis promiſſis: unde ad tantum pervenerunt fortunarum incrementum, quale piſcatorum conditio optare poteſt. Tertius voti ſui immemor ſeu negligens potius, nunquam niſi avarum mare reperit; demum ad incitas redactus mendicato vivere debuit. (d) I nunc & nega Deiparæ quod voviſti: lucraberis.

a Atlas Mar: Imag 73. b. Ibid. Imag. 355. c. Imag 290. d. Imag. 1161.

CA-

CAPVT II.

Alacriter & liberaliter vota sunt implenda.

QVemadmodum iuxta Philosophum Romanum, diu negavit, qui non citò dedit; & minus semper beneficium venit, quod diu inter dantis manus hæsit: ita nubilus vultus & contracta manus multum detrahit promiſſo muneri. Vt Deus, ita Deipara hilarem diligit datorem, Et quid iuvat, difficilé ſe præbere in conferendis Deo ac eius Matri ijs, quæ poſt accepta ab illis beneficia non jam habent rationem donorum ſed debitorum? unde quid mirum, ſi ſubinde Iuſtitiæ divinæ miniſter quiſpiam invadat fauces tergiver-

giversantis, & suffocans inclamet: Redde, quod debes! Certè non pauci, qui promissa non exsolverunt, aut non integrè vel cum pœnitudine exsolverunt, gravioribus se induerunt malis, quàm quibus ad vota facienda adigebantur; factaq; sunt posteriora hominum istorum peiora prioribus.

Manifestum id fecit irreparabili clade sua insignis dives in regno Peruano Indiarum Occidentalium. (a) Huic, cùm omnibus abundaret, res una defuit, sine qua cætera habere possumus, frui illis non possumus. Sanitas deerat diviti, quam nec in pharmacopœorum officinis, nec in suis gazophylacijs aut latifundijs reperire poterat. Ergo membris

bris omnibus captus, converso ad superos oculo, conceptisq; speciosissimis promissis ac votis, curat se deportari ad sacram Beatissimæ V. statuam, quæ Ca-pocavanæ colitur. Ibi novemdi-alem compluribus salutarem or-ditur devotionem in Virginis honorem suamq; utilitatem. Quā ubi finijt, morbi quòq; finem vidit. Salvus igitur sanusq; in grati animi anathema, torquem aureum Deiparæ dono offert, lætusq; domum revertitur. Re-ducem excipiunt amicorum cu-nei sanitatem receptam Dei Matris largitate gratulantium. Hic mammonista infelix, ebrius inexplebili auri siti, immemor mali, quo dirè tortus paulò an-tè gemebat, nimium memor do-

ni

ni, quod Deiparæ obtulerat; quasi jacturam passus esset: *Sanitatem quidem*, inquit, *amisi, habeo ego, sed illa habet torquem aureum.* Vix hæc malè sanus effuderat, cùm iterum membrorum omnium usu destitutus, vivus cœpit esse truncus ut antè. Neve iniuriam sibi factam à Virgine criminaretur, torquem suum ante pedes sibi iacere vidit. Nimirum cæli terræq; Domina est MARIA, bonorum nostrorum non eget. Oblata nostra non acceptat, ut ditior fiat; sed ut nos reddat opulentiores. Quod igitur in eius honorem & bonum nostrum faciendum est; fiat integrè, fiat libenter, fiat citò & alacriter, imò cum auctario quodam; ut

ita

ita non tantùm debito satisfaciamus, sed speciosam quandam doni speciem ipsi debito conciliemus. Certè cum hac perfectione satisfacere debito suo nihil aliud est, quàm cæli Dominam ad novam gratiam maioremq; liberalitatem provocare: nec ullus est suavior modus nova impetrandi beneficia, quàm pro acceptis exhibere se gratum, optimâ quâ fieri potest, formâ.

Didicit id felici experientiâ Alphonsus Hispaniæ Rex cognomento Sapiens. Cùm enim Templum Deiparæ vovisset, si Eliocratam urbem Saracenis eriperet; occupata feliciter urbe, prima eius cura fuit Templi fabrica, quàm acceleratâ operâ breui tempore regiè absolvit. Hac celeri

lexi gratitudine provocata Virgo complures deinde urbes, & de Mahometanis victorias, velut in rete Alphonsi properare iussit. (b) Ricciola quoq; nobilis Virgo Bononiensis Templum voverat Dominæ: cui ut etiam à celeritate commendatio accederet, illico architectos manum operi admovere iussit. Placuisse sibi vehementer tam vividam fidelitatem, non obscurè indicavit MARIA, quando in omnium oculis demonstravit, se ipsam suscepti operis velle esse Architectam. Cùm enim frequentes operæ ad tinnitum argenteorum scutorum convolâssent ad opus auspicandum; misit illa columbã, quæ neminem verita, lignorum ramenta laboriosè comportavit,

&

& in circulum benè amplum disposuit, tam regulari peripheriâ, ut circino adhibito melior formari non potuisset. Advertêrunt omnes, rotundam templi formam velle Deiparam, illiq; magnâ contentione se accinxerunt. Finitâ celeriter fabricâ, properavit in prodigiosas gratias Virgo, alacrem pietatem liberalissimè remunerata. (c) O si tenacitatem nostram Superûm genio conformare & ampliare vellemus; quàm citò cælestibus donis ditesceremus! Versamus in omnem partem, & versando atterimus obolos, quos cælitum honori destinavimus; & quos retinere non licet, tenere libet usq; ad fastidium cæli.

Quodsi verò executio voti cum aliqua

aliqua sui depressione seu humilitatis actu fieri debeat: quanta quàmve insuperabilis moles nobis incumbit! Decrescunt accepta cælitus beneficia; grandescimus ipsi in oculis nostris, & inæqualitatem inter dandum & acceptũ ostentat nobis tumor noster, adeoq; ad impossibile decesse obligationem facilè persuadet. Liberalioris gratitudinis & genij insigne dedit specimen paucos ante annos Novogrodeci illustris persona; quæ gravissimo implicita morbo, vovit DEiparæ ibidem specialibus gratijs munificæ; se festo die ante vestibulum templi nostri, stipem inter mendicabula perituram ab intrantibus, omnemq; in eius honorem effusuram, si sanitate donaretur. Quàm magni-

magnificè dixit, tam magnanimiter fecit. Restituta paulò post sanitati, solemni Ecclesiæ die, in conspectu universi poene Magni Ducatûs Litvaniæ, cuius selectissima Capita ad judicia regij Tribunalis confluxerant, junxit se misero lacernosorum agmini, stipemq; à certatim confluentibus non fucata demissione (non enim permittebat recentissima obtenti beneficij memoria fuco eam adspergere) stipem amore Deiparæ pro Deipara petijt, largamq; impetravit. Non deerant sinistri eius actûs interpretes; at illa nihil illos morata, non reputabat, quid ab alijs dicendum, sed quid sibi faciendum esset; stetitq; non minus gloriosa inter Novogrodeci mendicos quàm victoriosa

Debora

Debora aut Iahel inter Baraci gregarios. Factum præter conscientiam famam publicam teste alio non eget. Non pigeat autem imitari, quod legere delectat.

a Maraccius in Historica relatione impressa Romæ 1656. b. Alphons. Vargas in Hist: templi Elicerat: c. Sigonius de regno Ital.

CAPUT III.

Premissa circa emendationem vitæ facta diligenter exequenda.

Ars nulla Græcorum Latinorùmve Oratorum tam felix est in persuadendo, ac incumbens homini gravis adversitas. Illustrat hæc etiam cæcas mentes, convincit etiam contumacissimos

cissimos intellectus, frangit etiam obstinatissimas voluntates. Hinc mirabiles illæ peccatorum induratorum conversiones, dulces illæ liquescentium dolore animarum lacrymæ; heroica illa circa morum correctionem proposita agminatim protrusa. Quæ omnia si reddita sanitate, aliove impetrato beneficio in suo vigore & robore perseverarent, profectò nihil esset utilius, nihil optabilius morbis, alijsq; cum quibus colluctamur, infortunijs. Verùm ut lacrymâ nihil citius arescit; ita bonis propositis circa morum inveteratorum emandationem factis nihil citius dissolvitur & evanescit, idq; sæpe cum irreparabili damno nostro.

Dum morbo aut alio malo laboramus, & pro illo avertendo

opem

opem beneficentissimæ Patronæ nostræ crebros inter anhelitus imploramus: ut hanc efficaciùs obtineamus inter alias cogitationes pias & voluntates, concipere solemus ardentissima proposita vitandi certa peccata, eradicandi certos habitus vitiosos, vitam non tantum ad Decalogi divini normam, sed ad amussim sanctimoniæ componendi; eô quod tum conscientiæ propriæ testimonio, tum alienis exemplis edocti noverimus: nos parum aut nihil impetraturos, nisi obstacula illa removere studuerimus. At ubi laqueum, quo stringebamur, conscissum, ac nos liberatos advertimus, nihil minus agimus: qui perversi fuimus, sæpè pervertimur adhuc; & fiunt novissima nostra pejora prioribus. Te-

stes

ſtes huius tum inconſtantiæ tum infelicitatis aut potius perverſitatis noſtræ (at non inultæ) non tantùm luculentos ſed opulentos exhibet Ioannes Nadaſi. (a)

In regni Neapolitani civitate Chieſti dives erat & turpi uſurâ odibilis, & fœdiſſima lepra per univerſum corpus ſparſa deteſtabilis. Cùm nullum tam horrido malo remedium reperiret apud medicos, ad Matrem miſericordiæ, concepto inter alia pia promiſſa ſerio, ut videbatur, propoſito emẽdandæ vitæ, recurrit. Famulum igitur ſui loco ad Virginem Lauretanam mittit, & per illum centum ſcuta auri. Felix eventus! Famulus domum redux Dominum ſalutat tam ſanum, quaſi cum Naamano ſepties in Iordane lotus fuiſſet.

fuisset. Adsunt & familiares vicinique gratulantes sanitatem per Deiparam V. recuperatam tam insigni miraculo. Nec ille nescijt se sanum esse corpore; imò ut id ipsum pateret manifestiùs universæ civitati, per celebriores civitatis plateas equo sublimis ibat. Ea occasione usus quispiam de chariori-bus amicis, dum ei gratulatur efficaciam precum & propositorum pro sanitate impetranda piè conceptorum, impensis obtestatus est hominem; ut sibi magis bonus esse vellet, ac mereri perseverantiam in hac prodigiosa sanitate. Meritum autem nullum fore efficacius, indicavit; quàm si ab usuris desisteret, quibus totam civitatem non sine scandalo gravabat: exequeretur piè quod in morbo promiserat devotè.

Tetigit:

Tetigit opportuna admonitio cen-trum cordis; sed illud invenit magis ex usurario metallo quàm carne conflatum: nihil ampliùs quàm insulsissimum iocum expressit sordido Euclioni, subridens enim ille ad dicta amici: Mi Domine, inquit, si usuræ essent scelus tam nefarium, illa Deipara non exerceret ùti fecit mecum; dum pro sanitate mihi restituta accepit à me centum auri scuta. Exhorruêre, qui aderant, ad impietatem blasphemi oris; at cælum illico excanduit in ultionem. Nocte proxima in diros clamores erumpit infelix. Concurrit familia & uxor, reperiunt impium pristinâ leprâ percussum, audiuntq; dirè vociferantem: se doloribus longè acrioribus quàm antè cruciari, suumq; latus exuri ar-

dentissimo titione. Ecquid hoc esset, investigans coniunx, invenit marsupium idem, centum aureis scuti fartum hærere lateri, quod maritus Deiparæ Lauretanæ nuperrimè miserat. Tum ille condénatum se inclamans desperatam animam in mortis æternæ chaos evomuit.

Huc facit & alterius simili morbo animi laborantis divitis non multùm dissimilis exitus. Is cùm aliquando animum è saccis & scriniis nummarijs collegisset videretq́; se avaritiæ & carnis sordibus fœdè scatentem; exhorruit perculsus tam enormi periculo suo, concepitq́; animo sanctissimum propositum de fuga in desertum & solidâ illic pœnitentiâ agendâ: quod propositum, præter morem communem

eorum,

corum, qui in peccatis jam putruerunt, quotidie renovavit. Sed in proposito languidum & continuò procrastinantem, dira mors Judici, æternitatis arbitro, stitit. Quam hic obtinuerit sententiam, audi ex ipsomet. Post mortem Episcopo spectabilis adfuit, atq; in brevem, sed ad quam ambæ aures tinniant, orationem erupit: *Satis volui*, inquiebat, *satis promisi; nihil operatus sum. Cor & os longè à manibus abfuerunt. Cor & os & totus ipsemet in manibus dæmonum æternaliter cruciandi tradimur.* Dixit, & barathro absorptus disparuit, relicto nobis documento gravissimo; ut piorum propositorum executioni totis viribus incumbamus. Nam ut D. Ambrosius advertit. (b) *negligentes De-*

us deserere consuevit. Quos autem Deus deserit, quid restat; nisi ut per præcipitia vitiorum malè rapti incidant in stygios latrones? Imitemur potiùs heroicam in proposito constantiam & executionem strenuissimi Ducis populi Dei Iephte; qui quàmvis magis liberale quàm prudens votum concepisset, quo sibi videbatur obstrictus ad unicam filiam Deo immolandam in gratiarum actionem pro victoria obtenta; nihilominus gloriosiùs se patrem, quàm hostes triumphans, ita totum animum addixit executioni, ut disertè fateretur (c) impossibile sibi esse non satisfacere proposito, quantumvis cum dimidij cordis, hoc est, unicæ charissimæq; filiæ jactura: *Aperui*, inquit, *os meũ ad Dominũ, & aliud facere nõ potero*

potero. Quantumvis eodem ictu cervicem filiæ & cor proprium sim impetiturus; aliud facere non potero, quàm quod promisi Domino.

Quando igitur & tibi in arduo executionis negotio remittit gratitudo, tepescit voluntas, concidunt manus; erige generosior animum, & coram cælo terrâq; protestare. Aperui os meum ad Dominum & Dominam & aliud facere non potero. Adhæreat mihi licet vitiosus iste & iste habitus non aliter ac interula ulceroso corpori agglutinata; disrumpam, exuam, abjiciam; aliter facere non potero; aperui enim os meum ad Dominam. O quantum nobis pro tam magnanima fidelitâte in exequendis propositi parabit præmium MARIA, quam in Litanjs Lauretanis invocamus titulo

Virginis Fidelis! Non dubitandum, quin fideles fideliter sit remuneratura.

a *In vita Prædestinatorum signo* 10. *b. In Psal:* 118. *c. Iudic:* 11.

CAPVT IV.

Dies anniversaria, seu privatum quoddam Festum annuæ Gratiarum actionis institui potest,

TAnta est gratiosissimæ Dominæ nostræ in nos inutilem familiam suam, beneficentia: ut nos meritò solicitos imò anxios reddere debeat de gratitudine rependenda. Innumera planè sunt, quibus nos prævenit & toto vitæ cursu comitatâ est, gratiarum munera, quorum alia communia nobis sunt cum omnibus, alia cuivis

peculiaria

peculiaria. Miramur subinde, quo factum sit; ut hæc vel illa nobis eveniret fortuna, hoc vel illud negotium præter aut supra spem omnem felicem sortiretur exitum? quomodo evenerit, ut hoc & illo infortunio, metu, periculo, calamitate, è qua evadendi nec modus nec ratio suppetebat, insperatò liberaremur? Stupemus nonnunquam (sæpius autem attoniti stupere deberemus) quomodo per tot annos vitæ non tantùm inutiliter, sed cum plurimis gravissimisq; Dei offensis transactos toleraverit nos vindex Iustitia divina! quomodo insuper tot gratijs & beneficijs foverit, ac velut in sinu gestârit Misericordia & Providentia divina! Sæpè salutari peccatorum horrore corripimur; & subitò displicent, quæ

tamdiu noxiè placuerunt: sæpe cor lapideum sentimus mutatum in carneum, aut carnale in spirituale: subinde extraordinarium in devotione gustum, in labore constantiã in arduis fortitudinem experimur non nostram. Vnde hæc omnia?

Fateri inprimis cogimur cum Davide: Hæc mutatio dexteræ Excelsi: Dextera Domini fecit virtutem. Nisi Dominus adjuvisset me; paulò minus in inferno habitâsset anima mea. Dona hæc Dei sunt & misericordiæ eius. Verùm ita hæc Dei sunt dona & gratia, ut etiam sint MARIÆ, & nisi MARIÆ essent, nostra non essent. Audi S. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum (a) *Nullus est*, inquit, *qui liberetur à malis, nisi per Te ô Purissima: nemo est, cui donum*

conce-

concedatur, nisi per Te ô Castissima: nemo est cujus misereatur gratia, nisi per Te ô Honestissima. Idem inculcat S. Bernardus: *Si quid spei, si quid salutis, si quid gratiæ in nobis est; ab ea noverimus redundare.* (*b*)

Recogitantes igitur sedula mente tantam beneficiorum multitudinem & molem, quæ præter specialem hanc, qua recenter donati sumus, gratiam, in nos derivantur à Deipara, erumpamus inprimis in affectum ignei Augustini, & de gratitudine ad æqualitatem rependenda omnino desperantes exclamemus cum eodē: *O beata MARIA quis Tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere!* (*c*) Deinde ne planè ingrati, aut parū grati moriamur; imitari expediet

morem tum aliarum gentium, tum maximè Iſraelitarum qui à gravibꝰ calamitatibus aut periculis liberati, ſolebant inſtituere, *conſecrare*, & ſingulis annis inſigni ſolemnitate & gaudio celebrare feſta quædam Gratiarum actionis ipſis illis affixa diebus, quibus ſingulari felicitate donati erant cœlitùs. Sic diem, quo fecit Deus virtutem in manu fœminæ, & præciſo Holofernis capite, caſtra profligavit Aſſyriorum: diem quoq́; quo ab excidio & capitali hoſte ſuo Amano ſunt liberati per Eſther Reginam, ſolemnem ſacrumq́; voluerunt. Cùm verò catulꝰ ille leonis Iudas Machabæus triginta quinq́; hoſtium millia cum Nicanore duce deleviſſet; *omnes communi conſilio decreverunt: nullo modo diem iſtum absq́;*

cele-

celebritate præterire (d)

Amplexa est similem Deo ac Deiparæ gratificandi ritum Sponsa Christi, Ecclesia orthodoxa. Quid enĩ aliud sunt celebritates Incarnationis, Passionis, Resurrectionis Dominicæ, Pentecostes, Corporis Christi: quàm festa Eucharistica, pro beneficijs assumptæ humanitatis, redempti hominis, devictorum hostium nostrorum, missi Spiritus sancti, communicati nobis Corporis divinissimi? Præter hæc quæ primis Ecclesiæ temporibus instituta accepimus, celebramus & alia recentiora Gratiarum actionis festa devotione anniversaria: quale est, quod ob reportatam Anno 1571. ope Deiparæ de Turcis celeberrimam victoriam instituit 7. Octob. Pius V Pontif. Max. Et illud, quo simili

mili beneficio simili gratitudine re. spondit Sigismundus III gloriosissimus iuxtà ac pijssimus Rex orbis Sarmatici. Cùm enim Osmanus Turcarum Imperator compluribus fractus cladibus castra vertere decima Octobris, coactus esset, interventu Deiparæ Oratorem pro patria coràm divino tribunali exhibentis B. Stanislaum Kostkam S. I. ut is dies in tanti beneficij memoriam Deo sacer, festusq; Poloniæ in posterum foret, Sigismundus ipse Rex Regniq; Antistites à Gregorio XV Pontif: Max: impetravere.

Propiùs ad rem nostram accesserunt in Gallia Monspelienses; qui, ut varijs ijsq; prodigiosis gratijs, quibus iam pestis, iam tempestas, iam fames imminens est abacta per Deiparam, non unius diei

vel

vel anni gratitudine reſponderent; jam inde ab Anno 1189 prima die Septembris celebrant feſtum gratitudinis ſolemnis, diemq; illum titulo Feſti Miraculorum Marianorum inſigniverunt. (e) Non minus religioſa eſt Meſſanenſium in Sicilia gratitudo. Nam ut tot nodis, quot literularum apicibus ſe obſtrictos teſtentur pro data ad Maiores ſuos à vivente adhuc in mortali corpore Virgine, Epiſtola plenâ favoris & protectionis promiſſæ: tertio nonas Iunij annuam celebrant ſolemnitatem, quæ *Feſtum Epiſtolæ* dicitur. Ipſo verò die in cælos aſſumptæ Angelorum Reginæ, ingenti apparatu, ſumptu & devotione exhibent ſimulacrum Virginis, inter frequentes Angelorum (quos viri ephebi formâ, innocentiâ & ornatûs

tûs splendore repræsentat) choros in cælum abeuntis, & Vrbi sub protectionem suam acceptæ benedicentis. In quam scenam insignis totius populi liberalitas sese effundere solebat. Nam ij, qui mercaturam faciunt, pretium uno die comparatum, qui verô labore manuum victum comparant, mercedem diei conferebant, pro lucro reputantes quod sibi detrahebant ac honori Dominæ consecrabant. (f) Verùm longius progressa est regali planè passu gratitudo Ferdinandi Hispaniæ Regis; cui placuit tum pro recuperata ab hoste per heroicum assultum urbe Granatâ, tum pro alijs à Deipara acceptis gratijs, non tantúm sumptuosam & annuam, sed ingeniosam quoq; & quotidianam testari gratitudinem. Quemlibet

libet igitur diem gratitudini sacrum voluit, excogitavitq; pijssimus Monarcha novo invento novos diversosq; cultus, quibus quovis die per omnem annum in Cathedrali Ecclesia Granatensi honoraretur Deiparæ Statua; quam secum in pugna circumferebat. Quam cultûs Mariani varietatem etiamnum accuratè observari testatur Guilielmus Gumpenberg in Atlante suo Mar. Imag: 153. Sic summi orbis Christiani Principes, populiq; devoti, vixerunt grati Deiparæ & etiamnum vivunt, quorum stimulati exemplis agemus & nos quantum possumus. Licet, imò decet, ut quilibet hoc in negotio agat Pontificem vel Regem sacrorum; & erecta in corde suo gratitudini Marianæ arâ, unum aliquem sibi deligat consecretq; diem,

quo

quo debitæ pietati suæ litet religiosiùs; siue is dies fuerit aliquis ex Festis Beatissimæ V. ab Ecclesia solemniter celebrari solitis, siue ille idem anniversario motu recurrens quo singulari beneficio nos solata est Patrona gratiosissima.

Quodsi petat quispiam: quonam annuo cultu is dies sit celebrandus? Nemo rectiùs respondebit, modumq; præscribet, quàm beneficij magnitudo. Non excedes mensuram; si duobus, tribus aut pluribus sacrificijs divinis interfueris: si, pro mensura facultatum tuarum Sacrum unum vel alterum de SS. Trinitate & Beatissima V. celebrari curaveris: si stipem in pauperes liberalior erogaveris, eosdem prandio domi exceperis. Coronas B. V. & Rosaria multiplicaveris, divinæ synaxi conviva

viva accesseris, à ludis profanis hominumq; turba abstinueris &c. Interim imitatus Psalmistam, sæpiùs ingemina: Benedic anima mea Dominam, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: quæ coronat Te in misericordia & miserationibus!

a. Orat: de zona B. V. b. ser. de Nat: B. V. C. ser. 18 de SS. d. 2. Mach: 15 e. Atlas Mar. f. Ibid.

CAPVT V.

Actus Gratiarum actionis.

AD sacros pedes Tuos egentissimus debitor, Domina gratiosissima, & Benefactrix liberalissima procido, oppressus planè mole & multitudine beneficiorum, quibus non tantùm immerentem, verùm & ingratum cumulâsti. Gratias inprimis debeo Patri luminum amplissi-

amplissimas: quod cæcam hanc animam clariore cælitùs emissa luce illustraverit; ut debitum suum & beneficentissimam dexteram Tuam agnoscere clariùs cœperit. Agnosco itaq; Tuarum in me profusionem gratiarum, ô Electa ut sol, ò benefica magis quàm sol. Suspicio misericordissimos illos oculos, quibus omnes necessitates meas prævidisti: agnosco ubera meliora vino distillantia mihi dulcedinem charitatis Tuæ: agnosco cor maternum intra quod licet degenerem conclusisti & fovisti: agnosco eam à Te circa salutem meam æternam solicitudinem habitam, acsi unicus Tibi essé, aut adoptivorum optimus. Hac inductus agnitione, confiteor coram cælo & terra debitum meum planè infinitum; cui cùm factis responde-

re

re nullatenus possim; non despicies ô Domina, ô Mater, sinceritatem grati affectûs; suscipies folia pro fructibus, pro rebus verba; quibus inprimis

Gratias Tibi ago æternas pro desideratissimo illo assensu, quem stupenda cum humilitate præbuisti Archangelo, adeóq; toti SS. Trinitati eligenti Te in Matrem Filij Dei, & pariter in Cooperatricem circa grande negotium Redemptionis nostræ & salutis meæ. A Tuo annutu pendebat tunc consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus deniq; universorum filiorum Adam, ac in particulari mea. Per verbum tuum reficiendi eramus, qui facti sumus per Verbum Dei. Annuisti humilis Ancilla Domini, & simul nos regenerare

nerare cœpisti, melior, quàm Eva, Mater viventium.

Gratias Tibi ulteriores ago amabilissima Mater, pro novem mensium hospitio, quo Salvatorem meũ in desertum mortalitatis nostræ egressum, intra uteri Virginei intemeratum sacrarium excepisti; gratias ago pro panniculis, fascijs, Virginei lactis nectare, quo natum Regem meum fovisti: pro cura materna, victu, amictu, obsequijs, affectibus, amoribus planè immensis, quos Tuo, meo, ac creaturarum omnium nomine, Deo meo IESV meo impendisti. Specialiter autem gratias ago pro fidelitate illa & constantia, qua pendenti in cruce, & derelicto ab ipso Patre Redemptori meo adhæsisti, atq; in luctuoso illo triduo omnium fidelium

personam

personam sola sustinuisti: uti etiam pro materno affectu, quo commendatum Tibi dilectum Iesu discipulum, ac in illo fideles omnes, meq; singulariter in Filium suscepisti gratiosè, fovisti humaniter, educâsti solicitè.

Gratias deinde Tibi ago, quàm possum humillimè, amplissimè, intensissimè (utinam tantùm possem quantùm debeo!) pro particularibus beneficijs plurimis maximisq; indignissimo mihi collatis etiam antequam te noscerem, etiam inter accumulatas offensas, quibus peccavi in Te, dilectissimumq; Filium Tuũ. Congessisti super caput meum tot carbones ignitos, quot gratias mihi impetrâsti. O utinam tandem puro eoq; Seraphico ardeam amore vestri, dulcissimi amores mei, IEsu & MA-

At pro beneficio NN. (*hic exprime gratiam vel gratias præcipuas, quibus Te Deipara donavit*) quid Tibi retribuam; quando & verba, quibus debitum meum pariter ac affectum explicem, me deficiunt? Si me totum dedero: quid dabo, quod mille alijs titulis Tuum non est? Quia tamen scio, Te potiûs velle me quàm mea: quantus quantus sum, Tuus esse volo, non tam donatus Tibi quàm emptus tot beneficiorum cælesti pretio. Offero insuper Tibi ô Benefactrix gratiosissima, omnes gratias quas Tibi egit unquam & etiamnum agit, agetq; in æternum, infinitas Filius Tuus Dominus meus, quas Tibi egerunt, agunt, & agent Angeli omnes, & sancti tam militan-

tis

tis quàm triumphantis Eccleſiæ: cum quibus omnibus eodem affectu, recognitione & gratiarum actione gratias Tibi ago & agam quàm diu ſpirabo; Fac Domina, ut ultimus vitæ meæ actus ſit gratiarum actio, puriſſimo ac intenſiſſimo amore Dei ac Tui formata. O quando veniam & apparebo ante faciem Tuam, Regina munificentiſſima, ut exoſculer ſacras plantas Tuas, & coràm gratidudinis meæ debitum, qua licet, exſolvam?

CAPUT VI.

Hymnis, Pſalmis, & Canticis, Deo, ac Deiparæ laudes, grateſq; perſolvendæ.

INvitat ad id Moyſes deducto feliciter per ſtupentes undas populo, Pharaone verò cum univerſis

ſis copiis demerſo exultans: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt; equum & aſcenſorem dejecit in mare.* Accinuerunt Debora profligato Siſarâ, Iudith cæſo Holoferne, Anna impetrato Samuele, Zacharias ſoluto lingvæ vinculo &c. Alacrior cæteris Pſaltes regius, cum omnibus grati cordis affectibus animâſſet citharam ſuam; *cantabo,* inquit, *Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi,* Pſal. 12. Nimirum dedecet cælitùs accepta beneficia, quibus Superi ſuum in nos loquuntur amorem, muti cordis ſepulchro condere. Excitat nos exemplo ſuo & ipſa cui laudes gratesq; debemus æternas DEipara V. in cuius uterum vix Pater æternus ſuum infuderat Verbum

bum, cùm illa totis animæ viribus gratitudinem spirans abijt in montana cum festinatione: ubi nacta qui carmen suum eucharisticum intelligerent, idoneos Auditores Elisabetham & Ioannem, erumpit in melos, ad quod attoniti hærerent omnes Angelorum chori: *Magnificat Anima mea Dominum Quia fecit mihi magna.* Non potes negare, quisquis es; quod & tibi DEus, Deiq; Mater fecerit magna: construe ergo gratorum affectuum & omnium animæ corporisq; virium harmoniam; ut acceptas à DEo & MARIA gratias non solùm confitearis in toto corde; sed, si id locus tempusq; patitur, toto ore. Imò ut magis sit sonora decoraq; laudatio gratiarum actioni juncta, juvabit eam non fucatis pauperum

vocibus in societatem accitis condire.

Suadet id aureus corde & ore Constantinopolitanus Præsul in Psal. 12. *Postquam autem, ait, consecutus fueris, quod petiisti, ne sis accepti immemor, & ingratus in Benefactorem; sed fac monimentum eius beneficij, & pro gratiarum actione ei dedica Canticum.* En facile cuivis etiam pauperrimo parabile monimentum, quod non sonantibus malleis exciditur è saxo, sed modulantibus linguis promatur è corde. Pergit ille: *Non potes ipse fortè componere? convoca pauperes; eorum linguas commodato accipe, & tibi eas compara. Scias eum libentius id auditurum quàm Canticum Davidicum; quod illi pro te cecinerint. Quemadmodum enim quod*

quod ex diversis est chordis constitutum, jucundiorem emittit modulationem, quàm quod unicū: ita etiam quod est ex diversis pauperibus, Deo, qui audit vocem pauperum, jucundum quid resonabit & amabile. Quodsi pauperum copia vel opportunitas desit; accersiri poterunt in Societatem amici & domestici ut pleno choro laudetur DEus.

Vide jam, quomodo vocalis hæc gratitudo arrideat etiam Deiparæ. Anno 1660 lætum accepit nuntiū Perillustris D. Christophorus Przesławski Decanus Venerab. Capituli Vilnen: de profligato Moschorum Lituaniam vastantium Duce Chowanscio cum universo exercitu suo. Insigni igitur gaudio delibutus exultabat in Domino pijssimus Præla-

mus; & probè gnarus, à quorum nutu momenta victoriarum penderet, illico se cum omnibus domesticis, & qui aderant amicis ad domesticũ proripit sacellum; atq; coram hac ipsa, quæ nunc Novogrodensis dicitur, Deiparæ V. Imagine miraculis jam tum clarâ, pleno choro effunditur in Hymnum Ambrosianum *Te Deum laudamus &c.* Placuisse Virgini eum gratitudinis ritum, non obscuro indicio fuit: quod tempore cantûs illius cælestem quemdam & insolitum fulgorem vultui Imaginis circumfusum adverterint, & sanctè testatæ sint illustres quædam Personæ: ut habetur in approbata & Vilnæ impressa Relatione Miraculorum prædictæ Imaginis 1673. Augescit nimirum splendor gloriæ Marianæ, ubi è latebris cordium

cordium grati affectus promicat candor, in solem gratiarum MARIAM reflexus. Nequit dissimulare Domina gaudium cordis, quando videt populum suum hilari animo sibi pendere debitæ gratitudinis vectigal.

Proinde, ut præter Hymnum SS. Ambrosij & Augustini, quo exuberanti bonorum omnium fonti DEo laudes gratesq; debitas solvere solemus, in promptu habeas, quo Deiparæ quoq; pro accepto beneficio te gratum testeris; placuit è Mariano Psalterio Divi Bonaventuræ excerptos quosdam Hymnos, Psalmos & Cantica hic apponere, quæ cum Seraphico Psalte, si non sonora voce, certè canoro corde decantes, auresq; gratiosissimæ Benefactricis demulceas.

HYMNUS S. Bonaventuræ.

TE Matrem DEI laudamus: Te MARIAM Virginé profitemur.

Te æterni Patris Sponsam omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli & Archangeli: Tibi omnes Principatus humiliter serviunt.

Tibi omnes Potestates & supernæ Virtutes: cœli cælorum & universæ Dominationes obediunt.

Tibi omnes Throni: Tibi Cherubim & Seraphim exultantes assistunt.

Tibi omnes Angelicæ creaturæ incessabili voce proclamant.

Sancta, Sancta, Sancta MARIA Dei Genitrix, Mater & Virgo.

Pleni sunt cæli & terra Majestatis gloriæ fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

sui

ſui Creatoris Matrem collaudat.
Te Martyrum cœtus candidatus,
Chriſti Genitricem glorificat,
Te glorioſus Confeſſorum exercitus,
Trinitatis templum appellat.
Te amabilis chorus Virginum, ſuæ
Virginitatis exemplum prædicat.
Te tota cæleſtis curia cælorum
Reginam honorat.
Te per univerſum orbem Eccleſia
ſancta invocando concelebrat.
Matrem divinæ Maieſtatis.
Venerandam Te veram Regis cæleſtis puerperam.
Sanctam quoq; dulcem & piam.
Tu Angelorum Domina.
Tu Paradiſi janua.
Tu ſcala regni cæleſtis.
Tu Regis gloriæ thalamus.
Tu arca pietatis & gratiæ.
Tu vena miſericordiæ.

Tu refugium peccatoris,
Tu es Mater Salvatoris.
Tu ad liberandum exulem hominē,
Filium Dei suscepisti in uterum.
Per Te expugnato hoste antiquo aperta sunt fidelibus regna cælorum.
Tu cum Filio tuo sedes ad dexteram Patris.
Tu ipsum pro nobis roga Virgo MARIA, quem ad nos judicandos credimus esse venturum.
Te ergo poscimus nobis famulis tuis subveni, qui pretioso sanguine Filij tui sumus redempti.
Æterna fac Virgo serena cum servis tuis in gloria præmiari.
Salvum fac populum tuum Domina: ut simus participes hæreditatis tuæ.
Et rege nos & extolle nos usq; in
æter-

æternum.

Per singulos dies, ô pia, Te salutamus.

Et laudare Te cupimus in æternum devota mente & voce.

Dignare dulcis MARIA, nunc & semper nos sine delicto conservare.

Miserere nobis pia, miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum: quia in Te dulcis MARIA confidimus.

In Te clementissima Domina speramus: defende nos in æternum Amen.

Te decet laus, Te decet imperium, Tibi virtus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMI

Ex Psalterio S. Bonaventuræ.

I.

CUm invocarem exaudisti me Domina: & de sublimi solio tuo mei dignata es recordari.

A rugientibus præparatis ad escã: & de manibus quærentium me liberatus sum gratiâ tuâ.

Quoniam benigna est misericordia & pietas tua: in omnes qui invocant nomen sanctum tuum.

Benedicta sis Domina in æternũ: & maiestas tua exaltetur in sæculum sæculi.

Glorificate eam gentes in virtute vestra: & cuncti populi terræ extollite magnificentiam eius.

Gloria perennis tibi sit spes nostra; quæ regnas in cælis, tolle nos ad astra.

II.

Confi.

COnfitebor tibi Domina in toto corde meo: & narrabo in populis laudem & gloriam tuam.

Tibi enim debetur gloria: tibi gratiarum actio & vox laudis.

Inveniant gratiam peccatores apud Deum per Te inventricem gratiæ & salutis.

Respirent ad indulgentiam humiles poenitentes: sana contritiones cordis eorum.

In pulchritudine pacis & requie opulenta cibabis nos: post laborem peregrinationis nostræ.

Gloria perennis &c ut supra.

III.

EXpectans expectavi gratiam tuam Domina: & fecisti mihi secundum multitudinem misericordiæ nominis tui.

Exaudîsti

Exaudisti preces meas, & eduxisti me de lacu miseriæ: & de fovea inimici.

Multa & mirabilia sunt dona tua Domina: incomparabilia sunt tuarū munera gratiarum.

Exultent & lætentur super te omnes, qui diligunt Te: qui verò oderunt nomen tuum, corruant in infernum.

Benedicta sis in æternum Domina: in sæculum & in sæculum sæculi.

Gloria perennis. &c.

IV.

Beata es MARIA quæ intelligis super egenum & pauperem: in tuis laudibus jugiter permanentem.

Domina Angelorum & Regina mundi: munda cor meum igne amoris & charitatis tuæ.

Tu es

Tu es Mater illuminationis cordis mei: tu et nutrix refovens mentem meam.

Te cupit os meum collaudare: te affectat mens mea humillimè venerari.

Te desiderat anima mea exorare: tuitioni tuæ se commendat tota substantia mea.

Gloria perennis &c.

V.

Voce mea ad Dominam clamavi: & solitâ suâ dulcedine intendit mihi.

Abstulit à corde meo tristitiam & mærorem, & suavitate sua cor meum dulcoravit.

Formidinem meam erexit in confidentiam bonam: & suo aspectu benignissimo mentem meam stabilivit.

Adiutorio

Adjutorio sancto suo evasi pericula mortis, & de manu ferocis & crudelis subterfugi.

Gratias ago Deo & tibi Mater pia: pro omnibus quæ assecutus sum misericordia & pietate tua.

Gloria perennis &c

CANTICA

Ex D. Bonaventura.

I.

BEnedicite omnia opera Dominæ gloriosæ: laudate & superexaltate eam in sæcula.

Benedicite Angeli Dominæ nostræ: benedicite cæli Dominæ nostræ.

Benedicat omnis creatura Dominam nostram: quàm Rex sic voluit benedici.

Benedicta sis ô summi Regis filia: quæ

quæ odore præis cuncta filia.

Benedicta sis corona Dominatorum omnium; benedicta sis gloria Hierusalem.

Odor tuus sicut agri pleni cui benedixit Dominus: qui in benedicentes te redundat, irrigans omnia intima eorum.

Qui benedixerit tibi ô Virgo sacrata, sit ille jugiter benedictus: qui maledixerit tibi, Rosa candidissima, sit ille maledictus.

Non recedat de domo servorum suorum vini & olei abundantia.

In nomine tuo omne genu flectatur: cælestium, terrestrium, & infernorum.

Benedicamus Deum qui Te creavit benedictus uterq; parens qui Te generavit.

Benedicta sis Domina in cælo & in

& in terra: laudabilis & gloriosa & superexaltata in sæcula. Amen.

II.

EGo dixi circa dimidium dierum meorum: vadam ad MARIAM ut me Christo reconciliet.

Quæsivi residuum annorum meorum: in amaritudine animæ meæ.

Generatio mea ablata est, quia pater & Mater & omnes dereliquerunt me: MARIA autem assumpsit me.

Sperabam in illa manè, serò & meridie: quasi leo sic côntrivit omnia ossa peccatorum meorum.

Et tu Domina mea eruisti animam meam ut non periret: & de manu carnis vitam meam.

Domina salvum me fac: laudem

tuam

tuam cantabo cunctis diebus vitæ meæ, ò pia Mater Domini mei.

Gloria perennis ut supra.

III.

EXultavit cor meum in Domino: & exaltatum est cornu meum in Domina mea.

Quia fecit mihi magna qui potens est: per MARIAM matrem eius.

Non est sancta ut est Domina nostra: quæ sola supergressa est universas.

Recedant vetera de ore nostro: & linguis loquamur novis.

Exulta & lauda MARIAM Sion & Hierusalem: quia maxima in dominabus Israël.

Ipsa pauperem facit & ditat, humiliat & sublimat: altior cælo & terrâ latior est Domina nostra.

Gloria

Gloria perennis &c.

IV.

CAntemus Dominæ gloriosæ Virgini MARIÆ: in hymnis & confessionibus benedicamus eã.

Domina nostra, omnipotens post Deum nomen tuum: currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.

Dextera tua Domina magnificata est in fortitudine: quia in multitudine misericordiæ tuæ stravisti adversarios meos.

℣ De ore leonis liberâsti me Domina: & tanquam infantem genitum Mater suscepisti me.

O Domina charissima mea: velut gallina protege me sub alis tuis. Tuus totus ego sum, & omnia mea ma sũt: Virgo super omnia benedicta,

Ponam Te sicut signaculum super

cor

cor meum: quia fortis est ut mors dilectio tua.

Gloria perennis ut supra.

CAPUT VII.

Curandum, ut pius gratusq; in B. V. affectus conservetur: & quomodo id facilè fieri possit.

ADversitatum, quas in nos immittit Deus, est & hæc non infimi pretij utilitas; quod nos compellant ad ipsum & Matrem suam, à quibus vel per peccata, seu inordinatam ad creaturas adhæsionem, vel per occupationum turbas secessimus;. Imò ut probè advertit S. Patriarcha noster Ignatius; *nullum lignum aptius est excitando in nobis igne amoris Dei*, (addere licèt, & MARIÆ) quàm

quàm lignum Sanctæ crucis, Dei permissu vel speciali ordinatione nobis impositæ. Hinc est, quod ad ipsum & Matrem eius pro solatio & levamine conversi, creberrimè protestemur: nos amare, & amare super omnia, & amaturos continuò & totis viribus DEum, IEsum, MARIAM; nec quidquam amaturos præter illos aut propter illos. Nimirum sagittæ potentis acutæ, præter acumen quo non sine acri doloris sensu viscera penetrant & medullas, ignem vehunt, quo desolatorij frigescentesq; carbones accenduntur, exardescunt & flammas spirant. Verùm ubi cælitùs gratiarum, consolationis, & melioris fortunæ aura adspiraverit: plerumq; citò evanescit concepta flamma, remittit ardor, frigescit charitas, nigrescit

grescit anima iterum in carbonem. Quod malum ut evitetur, plurimùm conducit, brevibus quibusdam & affectuosis sententijs instar flabellorum quotidie uti, more compluirium Sanctorum, ut ita cor intepescens iterum iterumq; succendatur, & crebriùs per diem respirans attrahat spiritum continuæ dilectionis. In hunc finem accipe congesta & in omnes Anni menses diesq; opportunè digesta pia cordis veri Mariani respiria, præsertim in aspectu alicuius Imaginis Beatissimæ V. usurpanda; ex quibus unicum quovis die, quàm fieri potest, creberrime (fecerunt id alij decies, alij centies, alij millies & ampliùs) & affectuosissimè repetatur. Fastidiũ arcebit varietas; constantiam persuadebit utilitas, quam in dies maiorem

iorem experiemur ita; ut si contingeret aliquo tempore affectus tales per incuriam intermittere, ubi postea animum recollegerimus, fateri oporteat: Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, quando affectibus loquebamur ad MARIAM?

ASPIRATIONES
AFFECTVOSÆ
ad B. Virginem.

PRO IANUARIO
Affectus Animæ Amantis.

1. IESVS & MARIA dulcissim amores mei! Patiar ego, moria ego amore vestri. *Alphons. Rodriq: S. I.*
2. Amo IESVM amore MARIÆ amo MARIAM amore IESV *P. Druzbicki S. I.*

8. O MA

3. O MARIA tibi uni cor meum!

4. Vna es formosa mea, amica mea, columba mea.

5. Dum vixero Te diligam cum Filio MARIA:

6 O Domina amo Te cordibus omnium SS. Regum.

7 Amo te cordibus omnium tibi devotorum.

8. Amo te amore totius Ecclesiæ militantis & triumphantis.

9 O si singula momenta mihi essent amoris tui incrementa.

10. O pia, ô magna, ô multùm amabilis MARIA! *Bern*:

11. Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa; vulnerâsti cor meum!

12. Quid mihi est in cælo, & quid velim super terram præter Deum IESVM & MARIAM?

13. O Mater castissima amore tui ardeam

ardeám, totusq; in Te transeam!

14. Soli Parenti Virgini mei calent amores: Hic nulla pars Cupidini; faedi procul calores.

15. Diligo te Domina ex toto corde totis viribus, animâ totâ.

16. Mater charissima tu scis quod amem te.

17. O si me tantùm amares, quantùm ego Te! *Alph. Rodr.*

18. Ego MARIÆ dilectæ meæ, & dilecta mea mihi.

19. Amo te quæ tam formosa, mea Gemma, mea Rosa.

20. O si te amarem corde Sponsi imo Filij tui!

21. Si MARIAM diligo, benedicar à Deo.

22. O Mater pulchræ dilectionis forma, reforma amores meos.

23. Amemus, laudemus, Deum Christum

Christum & SS. eius Matrem, *Rodriq.*

24. O Mater, Mater! ô charissima Mater!

25. Qui non amat MARIAM anathema sit.

26. O amor MARIÆ, qui divinũ reddis amantem! *Bonav.*

27. Scire mihi IEsum satis est, & amare MARIAM. *P. Barry.*

28. O pulcherrima inter mulieres, omnes mei amores ardent tibi.

29. Charitate tua vulneratus sum!

30. Hæc trias mihi charissima IESVS, MARIA, IOSEPH.

31. Si MARIAM, ut decet, amo; certus sum de salute mea. *Berchm.*

PRO FEBRUARIO

Affectus Suspirantis.

1. QVando veniam & apparebo

 ante

ante faciem tuam Domina?

2. Purifica cor & animam meam ô purissima Mater.

3. Ne dimittas servũ tuũ Domina.

4. Eia ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.

5. Fac Domina, ut videntes IEsum semper collætemur.

6. Clemens audi, tuæ laudi quos instantes conspicis. *S. Casim.*

7. Memento Domina perditorum filiorum Evæ fratrum tuorum.

8. Fac, ut ardeat cor meum in amando Christum Deum.

9. O MARIA, sis mihi MARIA!

10. Ah IEsum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende! *Eccles.*

11. Hoc requiro, hoc suspiro, mea sana vulnera. *S. Casim.*

12. IEsu fili MARIÆ miserere mei.
13. S. MARIA Mater Dei, Ora pro nobis peccatoribus.
14. Ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.
15. Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem & pacem.
16. IESV cœleste Lilium, fac me MARIÆ filium.
17. MARIA magnes cordium, trahe, rape cor omnium.
18. Audi nos IEsu pro quibus Virgo Mater te orat.
19. O MARIA sis mihi propitia! *B. Kostka.*
20. Commendare me dignare Christo tuo Filio. *S. Casimi.*
21. Salvum me fac Domina, quoniam intraverunt aquæ concupi-

Ka scentiæ

ſcentiæ uſq; ad animam meam. *S. Bonav.*

22. O ſi amarem fideliſſimè, ferventiſſimè, conſtantiſſimè!

23. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

24. O ſors beata videre, amare MARIAM æternùm!

25. Cupio diſſolvi, & eſſe cum IESu & MARIA.

26. Dirumpe Domina vincula mea, ut evolem ad Te.

27. Ad te Domina clamant ſuſpiria & miſeriæ meæ.

28. O ſit ultimum ſuſpirium meum IESVS MARIA!

29. Vale, ô valde decora, & pro nobis Chriſtum exora.

PRO

PRO MARTIO

Affectus Pœnitentis.

1. MAter peccavi in cælum & coram Te!

2. Non sum dignus vocari Filius tuus; faç me unum de mancipijs tuis.

3. Ego, ego sum fera pessima, quæ devoravit Filium tuum.

4. Quid retribui MARIÆ pro omnibus quæ retribuit mihi, nisi offensas & dolores!

5. Non ampliùs Domina! non ampliùs ô Mater!

6. Ne projicias me á facie tua, & gratiam tuam ne auferas à me.

7. Averte faciem tuam à peccatis meis: sed illos tuos misericordes oculos converte ad me.

8. Vbi abundavit iniquitas, super-

abundet gratia tua.

9. Cor contritum & humiliatum non despicies.

10. Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta Inventrix gratiæ.

11. Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos recommenda.

12. Misericordias tuas, Domina, in æternum cantabo.

13. O mare gratiarum, absorbeat iniquitates meas abyssus misericordiæ Tuæ.

14. Amplius, amplius lava me, ô Mater, filium doloris!

15. O dulcis diligentibus ô clemens pœnitentibus. *S. Bonav:*

16. Ecce in iniquitatibus conceptus sum & adolevi, sed tu ô benignissima dele iniquitatem meam pretioso sanguine Filii tui.

17. O si

17. O si nunquam peccâssem! fac Virgo ut semper pœnitere libeat.
18. Nisi MARIA adjuvisset me, paulò minus in inferno habitâsset anima mea.
19. Per innocentiam purissimi Sponsi tui miserere mei Domina.
20. Per amorem Sanctissimi parentis tui Ioachimi parce mihi Domina.
21. Ergone pergam offendere IESVM & MARIAM?
22. Heu mihi! quam vili vendidi Filium MARIÆ!
23. Desine tandem, desine Anima mea Matrem gladio, Filium clavis iterum configere.
24. Miserere mei Domina secundùm magnam misericordiam tuam; quia magna est miseria mea.
25. Miserere peccatoris, quæ hodie facta es Mater Salvatoris.

26. Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear: impetrabo tamen per MARIAM.

27. Amiſi ſummum bonum, incidi in ſummum malum; ne peream, adeſto Domina! Doleo.

28 Contere, contere Domina ſaxeum hoc cor meum; & infige capiti Siſaræ clavum Timoris Dei.

29. O quando dies aderit, qua non peccabitur ultra, in IEſum & MARIAM.

30. Non peccabo, ne offendam IEſum, Non peccabo, ne diſpliceã MARIÆ.

31 Ingemiſco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus; ſupplicanti, fac parcat Deus.

PRO APRILI.

Affectus Compatientis pro ultimis

timis diebus Quadragesimæ.

1. Pia Mater fons amoris, Me sentire vim doloris fac ut tecum lugeam.

2. Tui nati vulnerati, tam dignati pro me pati, poenas mecum divide.

3. O Virgo Mater, magna est velut mare contritio tua!

4. Non te nunc dicam MARIAM sed Maram: quia amaritudine replevit te Dominus.

5. Quis mihi det, ut mea lumina convertantur in flumina, atque in hoc mare dolorum fluant ac refluant.

6. Doleo Domina, doleo: quod tā parum tibi condoleam,

7. Flent amarè Angeli pacis in luctu Virginis; & ego tanti luctus causa ridebo?

8. O quàm tristis & afflicta, fuit illa

Benedicta Mater Vnigeniti!

9. Semper amabilis es Virgo, sed amabilissima sub cruce, ubi Filiũ pro me immolâsti.

10. Iuxta crucem tecum stare; me libenter sociare in planctu desidero.

11. Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè.

12. Nolo Domina nolo vivere sine vulnere; quia Te video vulneratã.

13. Fac me verè tecum flere, Crucifixo condolere donec ego vixero.

14. Domina & Mater mea luctu tabescit, & ego voluptati operam dabo?

15. O quanti fuit Tibi, fieri Matrem meam! Quantorum ego filius dolorum!

16. Sic MARIA dilexit mundum, ut Filium suum Vnigenitum daret!

17. Ego

17. Ego, ego infelix acui gladium, qui beatam illam pertransiit Animam.

18. Ego proditor, ego tortor Filij tui. in me obsecro vertatur gladius tuus.

19. O si vel sanguinem refundere possem pro tantis lacrymis!

20. Septem tuos dolores MARIA dum considero; Tecum pati labores, tecum mori desidero.

Affectus Congaudentis pro Tempore Paschali

21. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in IESV & MARIA.

22. Regina cæli lætare alleluia &c.

23. Filius tuus IEsus & Vivit regnat à ligno: exultemus & lætemur. MARIA.

24 Dominus regnavit, decorem induit:

induit: gaude Domina.

25. Vivit IEsus, triumphat IEsus; exultet MARIA!

26. Plaudat nunc organis MARIA; & inter veloces articulos tympana concrepent, *S. Aug*

27. Gaude & lætare V. M Alleluja Quia surrexit Dominus verè Alleluia.

28. Gaude Virgo gloriosa, nuper nimis dolorosa.

29. Venite exultemus Dominæ: iubilemus Virgini salutari nostræ. *S. Bonav.*

30. Dominus regnavit, exultet MARIA in omni imperio dominationis eius. *Idem.*

Si plures superfuerint dies usque ad Maium: repeti poterunt aliqui ex suppeditatis affectibus: sicut & aliqui omitti ex praecedentibus.

dentibus, si citius incidat Pascha.

PRO MAIO.

Affectus Lætantis

1. LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibunt veri servi MARIÆ.
2. Gaudens gaudebo & exultabo in MARIA Patrona mea.
3. MARIA meum gaudium, terræ delicium!
4. O MARIA una cordis mei voluptas! *S. German.*
5. O beata per quam data nova mundo gaudia. *S. Casim:*
6. Paradisi portæ per illam nobis apertæ sunt. Eia exules filij Evæ, in patriam, in patriam!
7. Vivat, regnet, imperet in corde meo & omnium IEsus & MARIA
8. Pater & Mater dereliquerunt me: MA

MARIA autem assumpsit me.

9. Exultabimus & lætabimur memores uberum tuorum.

10. Magnificat anima mea Dominũ: & exultavit spiritus meus in Matre ejus.

11. Sicut lætantium omnium nostrũ habitatio est in te S. Dei Genitrix.

12. Iubilate Dominæ nostræ omnis terra: psallite hymnum nomini eius.

13. Tonate cæli desuper, & date Virgini laudem. *S. Bonav.*

14. Fortitudo mea, & laus mea tu es in Domino: gaudium & exultatio cordis mei.

15. Dixi Mundi gaudio: quid frustra deciperis? In MARIA & per MARIAM est vera cordis lætitia.

16. Benedicta sis ô Domina in omnibus finibus orbis terræ.

17 Quàm

17. Quàm dulcia diligentibus te eloquia tua Virgo sacrata: quàm suavia sunt tuarum stillicidia gratiarum! *S. Bonav.*

18. Gloriam & honorem psallam tibi: & in nomine tuo gloriabor in sæculum.

19. Confitebor tibi in voce exultationis: quia magnificâsti super me misericordiam tuam.

20. Quare fremuerunt Tartara? sub protectione Reginæ cæli commorabimur.

21. Circumdent me dolores mortis: memor ero MARIÆ, & delectabor in illa.

22. Fecit mihi magna, qui potens est, per MARIAM Matrem suam.

23. Exultat cor meum in Domina Protectrice tua.

24. Voce mea ad Dominam clama-

b

bo & auferet mærorem à corde meo.

25. Dicite iustis & peccatoribus quoniam bene, sub protectione MARIÆ.

26. Causa nostræ lætitiæ, lætifica animam servi tui.

27. Domina refugium facta es nobis in cunctis necessitatibus nostris.

28. Dextera tua Domina magnificata est: de ore leonis eruisti me.

29. Contrivisti caput serpentis antiqui: io triumphe!

30 Tu lætitia Israel; tu gaudium universæ terræ.

31. Benedic anima mea Virgini Matri: honor illi & magnificentia in secula.

PRO IVNIO.

Affectus Laudantis.

1. Omni

1. OMni die dic MARIÆ mea laudes anima. *S. Casim.*

2. Quantùm potes, tantùm aude: maior est Virgo omni laude. *S. Thom. Villan.*

3. Omnes mei sensus ei personate gloriam. *S. Casimi.*

4. Sancta, Sancta, Sancta MARIA, Dei Genitrix, Mater & Virgo. *S. Bonav.*

5. O Sancta & Sanctis Sanctior, omnis sanctimoniæ supersancte Thesaure. *Andr. Creten.*

6. MARIA pretium pretiorum, dignitas dignitatum. *S. German.*

7. Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sidera cælo.

8. Est tibi plus dotis Virgo quàm sidera cælo.

9. O gloriosa Virginum sublimis inter sidera.

10. O intemerata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio.

11. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi Dei.

12. Elegit eam Deus & prælegit eã.

13. Benedicam Dominæ in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

14. Laudate Dominam omnes gentes, laudate eam omnes populi.

15. Laudate Dominam de cælis: glorificate eam in excelsis.

16. Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei, Genitrix Virgo.

17. Hæc amanda & laudanda cunctis specialiter. Venerari prædicari eam decet jugiter. *s. Casim.*

18. Beata Mater & intacta Virgo, gloriosa Regina mundi.

19. Beata viscera, quæ portaverunt

æterni

æterni Patris Filium: & beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum.

20. Benedicta per quam victa hostis est versutia.

21. Viderunt eam filiæ Sion & beatissimam prædicaverunt & Reginæ laudaverunt eam. *Ecclesi.*

22. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

23. Benedicta filia tu à Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

24. Domina nostra, omnipotens post Deum nomen tuum. *S. Bonav.*

25. MARIA Mater Numinis, aurora primi luminis.

26. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra.

27. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.

28.

28. Nec primam similem visa es nec habere sequentem.

29. Virgo ante partum Virgo in partu, Virgo post partum.

30. Solo Deo excepto cunctis superior existis Virgo.

PRO IVLIO

Affectus Supplicantis.

1. ORa pro nobis S. Dei Genitrix.

2. MARIA Virgo Virginum deposce nobis omnium remissionem criminum.

3. Monstra te esse Matrem; monstra, monstra te Matrem.

4. Mater Dei memento mei. *S. Xaver.*

5. Da mihi Virgo cor tuum; volo diligere.

6. Vnum præsta; ut cor meum nihil

hil quærat nisi Deum.

7. Ad te clamamus exules filij Evæ ad te suspiramus gementes & flentes.

8. Solve vincla reis, profer lumen cæcis,

9. Nos culpis solutos mites fac & castos.

10. Vitam præsta puram, iter para tutum &c.

11. Audi nos Domina; nam Filius nihil negans Te honorat.

12. Cum exierit spiritus meus, Domina sit tibi commendatus. *S. Bonav.*

13. Per Christi nobis vulnera da gratiarum munera.

14. O Domina, ecce quem amas, infirmatur.

15. Domina volumus IEsum videre.

16. Ora Deum ut cor meum suâ

serves

servet gratiâ.

17. A periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

18. Domina in adjutorium meum intende.

19. MARIA Virgo, filia David miserere mei!

20. Ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ.

21. Recordare Domina, ut loquaris pro nobis bona.

22. Dic obsecro Domina, quod sis soror nostra: ut nobis bene sit propter Te.

23. Os de ossibus nostris, caro de carne nostra, ideo exaltata es, ut juvares genus tuum. Adjuva ô Regina!

24. Ne respue peccatores; sine quibus nunquam fores tanti Mater Filij.

Filij.

25. Sub tuum præsidium confugimus S. Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris.

26. Miserere servorum tuorum super quos invocatum est nomen tuum. *S. Bonav.*

27. Exurge MARIA, & dissipentur inimici nostri.

28. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad te donec miserearis nostri.

29. MARIA Mater gratiæ, Mater Misericordiæ, tu nos ab hoste protege &c.

30. Esto nobis Domina turris fortitudinis à facie inimici.

31. Domina, ne in furore Dei finas me corripi: sed propter honoré nominis tui libera me.

PRO

PRO AVGVSTO

Affectus venerantis & glorificantis.

1. GLorifico, veneror Te maxima & optima Matrum.

2. Te æterni Patris Sponsam omnis terra veneratur. *S. Bonav.*

3. Tibi omnes Angeli, Tibi cæli & universæ Potestates obediunt.

4. Quis non subijciatur MARIÆ cui subditus erat Filius Dei?

5. Serviamus Dominæ in amore; & exultemus ei cum timore.

6. Lingua mea dic trophæa Virginis puerperæ.

7. Sine fine dicam Reginæ mundi laudum cantica.

8. Benedicta es Domina in cælo & in terra: laudabilis gloriosa & superexaltata in sæcula.

9. Te

9. Te gloriosus Apostolorum Senatus suam colit Magistram.

10. Te Patriarcharum laudabilis numerus suum decus concelebrat.

11. Te Martyrum purpuratæ legiones suam Reginam suspiciunt.

12. Te candidati Confessorum Virginumq; Chori suæ virtutis exẽplum prædicant.

13. Specie tua & pulchritudine tua intende prosperè, procede, & regna.

14. Attollite portas Principes vestras & introibit Regina gloriæ.

15. Assumpta est MARIA in cælum, Iò triumphe!

16. Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna.

17. MARIA Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex

regum stellato sedet solio.

18. O gloriosissima Imperatrix, regna, impera æternum!

19. Speciosa facta es & suavis in delicijs tuis S. Dei Genitrix.

20. Gloria & honore coronâsti eam Domine & constituisti eam super opera manuum tuarum.

21. Nimis honorati sunt amici tui DEus: sed magis honorata Mater!

22. Paradisi portæ per Te nobis apertæ sunt, quæ hodie gloriosa cum Angelis triumphas.

23. Magna es Domina & laudabilis valde in universa Ecclesia Electorum Dei.

24. Ascendisti alternantibus hymnidicis Angelorum choris innixa super dilectum tuum.

25. O quàm læto animo & sereno aspectu suscepit eam Angelorum

&

& hominum Rex, & constituit eam super omnem locum domi- nationis suæ.

26 Domina mea quis similis tibi, quæ gratiâ & gloriâ superemines universis! *S. Bonav.*

27. Adstitit Regina à dextris Filij in vestitu deaurato circumdata varietatibus.

28. Pulchra es & amabilis nimis: Magna es & laudabilis nimis.

29 Te decet ~~laus, te~~ decet imperi- um: tibi virtus & gloria in sæ- cula.

30. Afferte Dominæ nostræ Filij Dei, afferte laudem & reverentiam.

31. Gloria, laus, honor Virgini MA- RIÆ, quæ secum nos trahat ad regnum gloriæ.

PRO SEPTEMBRI

Affectus Salutantis.

1. Ave gratiâ plena, Dominus tecum.
2. Ave maris ſtella, Dei Mater alma.
3. Salve Regina, Mater miſericordiæ.
4. Vita, dulcedo & ſpes noſtra ſalve.
5. Ave Regina cælorum, ave Domina Angelorum.
6. Salve radix, ſalve porta ex qua mundo lux eſt orta.
7. Virgo ſalve, per quam valvæ cæli patent miſeris.
8. Nativitas eſt hodie S. MARIÆ V. Salve mundi Domina, cælorũ Regina.
9. Regali ex progenie MARIA exorta refulget. Salve auguſtiſſima Princeps mea.
10. Ave Virgo gratioſa, Virgo ſole clari-

clarior.

11. Salve veniæ gratiæq; conciliatrix optatissima.

12. Ave Aurora coruscans, ex qua mundo sol Iustitiæ processit.

13. Ave Virgo balsamo suavior, floribus pulchrior gemmis pretiosior.

14. Ave singulare cœli ornamentum præsidium terræ.

15. Ave naturæ humanæ flos & decus incomparabile.

16. Ave Virginum castissima, Matrum foecundissima.

17. Ave millies desideratum sæculorum omnium negotium.

18. Salve miraculum miraculorum, fons omnium bonorum.

19. Salve signifera Virginitatis (*Richard.*) Radius Deitatis. (*Bernard.*)

20. Salve decus terrarum (*Cyrill.*)

Pelagus gratiarum. (*Damaſc.*)

21. Ave theſauri cœleſtis gazophylacium (*Damian:*) Regis æterni palatium. (*Bern.*)

22. Salve Virgo deliciarum hortus (*Guerr:*) Periclitantium anchora & portus (*Ignat. M.*)

23. Ave animarum cælum & ſedes Dei (*S. Germ.*) Ave Mater ſanctæ ſpei.

24. Ave Paradiſi reſeratrix, afflictorum conſolatrix.

25. Salve A -a fœderis, Thronus Salomonis.

26. Salve plena gratiæ, clara lux divina: Mundi in auxilium Domina feſtina.

27. Salve ſuaviſſima humilitatis viola: Salve Roſa ardentiſſimæ charitatis.

28. Ave Filia Dei Patris: Paternæ glo-

gloriæ Hæres opulentissima.

29. Ave Mater Dei Filij, electa ex millibus.

30. Ave speciosissima S. Spiritûs Sponsa: sacratissimum totius SS. Trinitatis Templum.

PRO OCTOBRI

Affectus Offerentis & Humiliantis se.

1. OMnia ad M. D. Gloriam B. V. Honorem perpetuum.

2. Domina quid me vis facere? Paratum cor meum; paratum cor meum.

3. IEsu & MARIA, totus sum vester, nullus meus.

4. Nonne tibi subjecta erit anima mea, Virgo clemētissima? *S. Bon:*

5. Vernaculus tuus sum Domina, & mancipiorum infimum.

6. Tuus sum ego: quia me emisti pretio sanguinis Filij tui.

7. Tuus sum ô MARIA: quia omnia subjecit sub pedibus tuis Deus.

8. Tuus sum ego: quia me alis parte substantiæ tuæ, Corpore SS. IESV.

9. Tuus sum ego: quia non semel à portis inferi reduxisti animam meam.

10. Tuus sum ego: quia innumeris periculis subduxisti vitam meam.

11. Tuus sum ego: quia innumeris beneficijs obligâsti me tibi.

12. Si tuus adhuc non essem: hoc momento me Maiestati tuæ subicerem æternum.

13. Deus Maiestatis subditus erat MARIÆ; & ego non serviam illi?

14. Quo-

14. Quomodo ferviam Mundo, qui toties me devovi Dominæ mundi?

15. Vade satana: MARIÆ sum totꝰ: illi vivam.

16. Facesse Caro: blandior me prævenit amoribus suis meliorq́; Sponsa.

17. O MARIA, uni Tibi!

18. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum ut sciam & faciam voluntatem tuam.

19. Loquere Domina; quia audit servus tuus?

20. O quàm lucrosa servitus, quæ impenditur MARIÆ!

21. De profundis vilitatis meæ ad te clamo Domina: suscipe me.

22. Quis sum ego, super quem respicis ô Regina? canis mortuus & pulex unus!

23. Vtiq; & catelli edunt de micis

 Domi-

Dominarum suarum? Respice me.

24. Suscitâsti me in Clientem tibi, & de stercore erexisti pauperem.

25. Pone me Domina scabellum pedum tuorum: ibi securitas mea.

26. Tibi vivam ut Cliens, operabor ut servus: ut moriar tanquam Filius.

27. Si omnium creaturarum viribus instructus essem, omnes omnino impenderem honori tuo.

28. Si omnes mundi thesauros possiderem: in tui honorem effunderem omnes.

29. Offero tibi Domina omnia omnium obsequia, cum quibus meritorum habeo conjunctionem.

30. Offero tibi totam sanitatem sanguinem & vitam meam, in odorem suavitatis.

31. O si liceret tibi serviendo, tibi ardendo

ardendo facis inſtar conſumi!

PRO NOVEMBRI.

Affectus Confidentis.

1. SAncti Dei omnes intercedite pro nobis apud Reginam veſtram: & vivet anima noſtra.
2. Opitulare Animabus Fidelium defunctorum ô Virgo. Non opitulaberis filiabus ô Mater?
3. Non timebo tela mortis; turris eſt MARIA fortis.
4. Præ pietate MARIÆ perire non poſſum.
5. Dulcis Dominus, dulcis Domina quia ille Dominus meus, miſericordia mea; hæc Domina mea, miſericordiæ porta. *B. Damian.*
6. In te Domina ſperavi non confundar in æternum. *S. Bonav.*
7. In te proieci anchoram fiduciæ

meæ

meæ, non me demerget tentationū tempestas.

8. Quæcunq; volueris, potes; tanquā Mater illius, qui omnia potest. *S. Damaſo.*

9. Scio Domina, quia amas nos amore invincibili. *Pet: Dam:*

10. Nullus MARIÆ filius, est filius gehennæ.

11. Virgo Dei Puerpera, nostræ salutis tessera.

12. Iam tutus est, jam salvus est; qui Te Patronam nactus est.

13. Deus judicium suum Regi dedit: & misericordiam suam Reginæ Matri eius. *Bonav.*

14. In manu tua Domina salus & vita sunt. *Idem.*

15. Quæ etiam proprio Filio tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti illum: quid jam

jam petentibus negabis?

16. Non moriar sed vivam, & narrabo opera Dominæ.

17. In Te & filio tuo inimicos nostros ventilabimus cornu,

18. Pax multa diligentibus te ô Virgo perpetua.

19. Ergone obliviscêris Mater filiorum?

20. Si MARIAM amo, omnia à Deo impetrare possum. *Berchm.*

21. Domina illuminatrix & protectrix mea, quem timebo?

22. Si consistant adversum me castra; in hac post Deum sperabo.

23. Exulta anima mea: quia ineffabilia bona præparata sunt amantibus MARIAM.

24. Per te ô Virgo destitutis spe salutis datur indulgentia. *S. Casim.*

25. Confitemini Domino quoniam bonus

bonus: quoniam per Virginem dulciſſimam diſtribuitur miſericordia eius. *S. Bonav.*

26. Reſpirate ad illam perditi peccatores: & invenietis requiem animabus veſtris.

27. Reparatrix, Conſolatrix deſperantis animæ!

28. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare in protectione cæli Reginæ!

29. In convertendo ſereniſſimam faciem tuam ſuper nos, lætificabis nos Virginea Mater Dei.

30. O MARIA ſemper dulcis, ſemper pia!

PRO DECEMBRI

Affectus Admirantis.

1. MAter admirabilis, quàm magna fecit tibi qui potens eſt!

2. O Vir-

2. O Virgo, gaudia Matris habes cum Virginitatis honore.

3. Pulchra ut luna, electa ut sol.

4. Totam gratiarum abyssum in Te residentem agnovimus. *Damasc.*

5. Virgo singularis, inter omnes mitis.

6. Dei Templum & Exemplum totius Iustitiæ. *S. Casim:*

7. Crastinâ orietur stella ex Iacob, & percuciet hostes nostros.

8. Conceptio tua Immaculata, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.

9. Tota, tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te.

10. Tu es illa speciosa, quâ nulla est pulchrior.

11. Tu es illa victoriosa, quâ nulla est fortior.

12. Caput serpentis antiqui in Conceptione

ceptione tua contrivisti!

13. Ab æterno Dominus ita ordinavit: ut Mater sibi esset, quæ in Adam non peccavit.

14. Pulchra tota, sine nota cuiuscunq; maculæ! *S. Casim*

15. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto filiorum Adæ, delicijs affluens?

16. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?

17. Pulchra es & decora filia Ierusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata!

18. Sola sine exemplo placuisti Domino nostro IEsu Christo.

19. Prævenisti eam Domine in benedictionibus Crucis tuæ.

20. Et quomodo fieret istud, ut Mater Domini mei, aliquando esset serva diaboli?

21.

21. Per salutem animæ tuæ Domine IEsu! Non permisisti Matrem tuam inquinari.

22. O quam decora, plus quam aurora, Regina cæli exoreris!

23. Sicut lilium inter spinas; sic Amica mea inter filias Adæ.

23. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, quæ paritura erat de Spiritu S.

24 Decebat tam nobilem Natum præcavere Te ab originali labe Matris Evæ.

25. Ecce MARIA genuit nobis Salvatorem, gaudeamus!

26 Creator generis humani de Virgine nasci dignatus est!

27. O si filiali Ioannis Spiritu te amarem Matrem meam!

28. Cantate admirabili Matri Dei canticum novum ô beatæ purpuratorum lactentium turmæ.

29. Tibi

29. Tibi laus, tibi gloria, tibi honor in sæcula ô Virgo Mater.

30. O quàm bonus Israel Deus his, qui dilectam Matrem suam colunt & venerantur! *S. Bonave.*

31. O quantum est in morte solatium, seriò MARIAM coluisse! *exclamavit moribundus P. Ioan: à Campis S. I.*

Sit laus DEo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.

IN-

INDEX.
PARS I.

gratitudinem.

Medium III. *Promittere B. V. se certum habitum vitiosum omni conatu depositurum, si optata gratia obtineatur.*

Medium IV. *Ferventi ad B. V. orationi jungenda mortificatio.*

Medium V. *Nocturnis vigilijs & precibus B. V. invocare.*

Medium VI. *Ritu mendicantis opportunè importunè B. V. invocare.*

Medium VII. *Intercessores adhibere complures tam è vivis quàm defunctis.*

Medium VIII. *Voto se obstringere ad eximium quoddam opus vel munus.*

Medium IX. *Animas in Purgatorio detentas speciali modo juvare in gratiam. B. V.*

Me-

PARS II.

Quid agendum post impetratam gratiam?

CA-

Ad M. D. G. B. V. Honorem.

[illegible] felicissimo exagapi,
[illegible]t que o[illegible] cōtinuam
[illegible]mitte capiamus. P[illegible]

Donati epi. oro

Deus tuorum gl'a sace-
[illegible] p̄sta q̄s ut sancti
[illegible]tris tui et epi Dona-
[illegible]ius f[illegible] gerimus
[illegible] sentiamus. P.
[illegible]Secr.

ne tue tibi comendet :
que in confessione tibi pla-
[illegible] : et coronam uite et[illegible]
[illegible]e meruit percipere. Ps.

Ep'la Confitebor. Euāg.

Simile ē regnū celorum
[illegible]thesauro abscōdito. Secr.

Suscipe quesumus
domine oblatio[illegible]
sc̄e affer martyris tue [illegible]